COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVI. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Salvium.

I.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences et belles lettres, année 1760. à Berlin chez Haude et Spener 4. 1767. 2. Alph. 15. pl. 11. Tab. aen. Année 1761. ibid. 4. 1768. 2. Alph. 20. pl. 10. Tab. aen.

h. e.

Hiſtoria Academiae regiae Scientiarum et elegantiorum litterarum. An. 1760. 1761. Berolini cet.

In claſſe philoſophiae experimentalis ad annum ſexageſimum ſequentes commentationes proponuntur.

1. *Meditationes de influxu, quem diuerſae radiorum lucis refrangibilitati* NEWTONUS *in teleſcopia dioptrica attribuit.* Auctore Ill. Com. de REDERN. NEWTONUS, cuius non ſolum in matheſi, ſed et in omni philoſophia naturali immortalia ſunt merita, per experimenta cum priſmate, aliisque dioptricis inſtrumentis inſtituta, quemuis luminis radium diffringi in ſeptem coloratos radios detexit, ordinem radiorum coloratorum vna cum lege diuerſae eorum refrangibilitatis conſtituit et docuit: fallere di- p. 3.

optrices promotores, conantes, teleſcopia dioptrica a confuſione illa liberare, quae ex ſphaericitate lentium obiectiuarum oritur, longe enim magis iis imagines turbari, multoque obſcuriores fieri per radiorum lucis refrangibilitatem, et eam confuſionem eſſe tantam, vt plane tolli nequeat. Meritorum itaque Newtonianorum memor Comes Ill. modeſte demonſtrat, legem refrangibilitatis radiorum coloratorum, a NEWTONO ſancitam, eſſe falſam, veramque noſtris demum temporibus a Cl. EULERO, erutam eſſe: deinde ſyſtemati ſuo contradicere NEWTONUM ac deſerere experimenta, quibus propoſitiones ſuas omnes modificare ſolebat, aſſerendo, confuſionem imaginum, in teleſcopiis ortam, a refrangibilitate radiorum multo maiorem eſſe ea, quam ſphaericitas lentium iis inducit, ac tandem, cum hac ſummi Viri auctoritate ſuffultus, ſententiae per multos annos impedimento fuerant, quo minus inſtrumenta haec, quibus accuratiora philoſophiae coeleſtis principia comparantur, perfici poſſent, concludendo grauiter monet, ſummorum etiam Virorum decreta ad examen, abiecto auctoritatis praeiudicio, eſſe reuocanda, ne incrementa ſcientiarum, admiſſis eorum erroneis propoſitionibus, retardentur.

p. 45. 2. *Diſſertatio de ſale foſſili, marino, atque fontano;* Auctore de FRANCHEVILLE. Breuiter Cl. Auctor diſſerit de principio ſalino, et varias de eo ſcriptorum chemicorum, tum temporis clarorum, opiniones enarrat. Probare poſt haec annititur, aquae marinae ſalſedinem pendere ab iis, quae in terrae gremio latitant ſalibus, potiſſimum a ſale gemmae, quod inſignes cryptas ſubterraneas replere rupeſque formare notum eſt. Ex adductis magna copia veterum ſcriptorum locis colligit, a priſcis iam aeuis cognita fuiſſe artificia, quibus ſine e terra

terra effodi, ſiue ab aqua marina, ſiue ex fontibus variis ſeparari ſal commune poſſet; longoque refert catalogo locos atque regiones, in quibus per totum orbem nunc noſtra aetate ad vſus oeconomicos parari ſoleat ſal culinare. Triplicem eſſe modum oſtendit, quo vti conſuerunt gentes ad acquirendum ſal; vel iam a natura perfectum ex terra fodiunt magnis in glebis; vel, mediante calore atmoſphaerico, ex marina aqua inſpiſſatur; vel ex muria, in multis hinc inde ſcaturientibus fontibus hauſta, culinaris ignis ope coquitur. Curatius has tres methodos exponit et machinas apparatumque omnem, huic negotio aptum, deſcribit; ſub finem demum commemorans ſalia, ex variorum corporum cineribus eluenda. Negare tamen non poſſumus in hac diſſertatione, cum iam anno huius ſeculi quadrageſimo tertio fuerit elaborata, permulta deeſſe, quae in his rebus recentiorum chemicorum, hac noſtra aetate tam fertilis induſtria, perfecit vlterius vel et detexit.

3. *Experimenta cum terra iſta, quae in muria ſalis communis poſt euaporationem remanet et ſerpentini lapidis baſin conſtituit, facta* Auctore MARGGRAFIO: Olim *) iam Cl. Auctor methodum expoſuit, qua terrae huius ſpecies tam ex ſerpentino lapide, quam ex ſalis communis muria ſeparari poſſit: ſimulque multis experimentis probauit, eam nec ad calcarearum genus referri poſſe; nec iſti, quae ex alumine praecipitatur, ſimilem eſſe. Quanquam enim vere alcalinae ſit indolis et quaeuis acida auidiſſime ſorbeat horumque vim prorſus infringat; iſta tamen, quae ex hoc connubio oriuntur producta, longe diſtant ab iis, quae a calcareis aluminisue terra cum acidis generantur. Repetitis, quas tum p. 55.

*) vid. Comment. Vol. XV. P. II. p. 273.

iam enarrauerat, huius terrae ad acida varia affinitatis phoenomenis, noua adfert Cl. MARGGRAFIUS experimenta, ex quibus dilucide apparet, veram esse supra adductam huius terrae indolem. Calcinata ea terra pellit ex ammoniaco sale partem vrinosam; rapit tamen eam in se et nouum salis ammoniacalis speciem producit. Causticum ex igne non adtrahit, hinc calcem viuam non constituit. Efferuescit cum spiritu vrinoso, neque tamen cum eo in vnum corpus coalescit; sub destillatione enim huius miscelae spiritus alcalinus prodit, terra vero absque ponderis decremento in retorta remanet. Cum aequalibus boracis partibus subtilissime fluit et crucibulum exedit; silicum calcinatorum aequalis portio, huic miscelae addita, dat vitrum topasinum pellucidum. Sola tamen haec terra neque cum silicibus, neque cum fluore siue marmore metallico fluit. Ex antimonio crudo regulum, vt creta, non praecipitat. Vitrum Saturni, siue purum sit, siue cum arsenico mixtum, cum ea non in fluxum abit, concrescit solummodo. Vitrum commune cum hac terra stratificatum et cementatum, eodem, ac cum gypso fit, modo in albam semipellucidam massam mutatur. Cum argilla et silicibus mixta, abit in massam porcellanae similem, porosiorem tamen atque magis spongiosam.

p. 87. 4. *Cogitata de praecoci apum multiplicatione, noviter iterum ante aliquot annos in Marcgrauiatu Lusatiae detecta, qua Romani iam ad examinum nimis debilitatorum paucitatem emendandam vsi sunt.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Romani, in apum cultura diligentissimi, duplici modo paucitatem apum in iis domiciliis, quae peste aliqua vel alia caussa insignem apum numerum amiserant, emendare tentabant. Vel enim examini imminuto nouum examen contribue-

tribuere et apes ex alio domicilio in hoc transferre ſolebant, vel, cum prior methodus cum variis incommodis coniuncta eſſet, frequentiſſimorum examinum fauos, qui iam maturos habebant pullos, transferebant et paucioribus ſubiiciebant, quo novae prolis adoptatione domicilia debilitata confirmarentur. Hanc a COLUMELLA *) deſcriptam methodum, in eſſentialibus conuenire cum ea, quam tanquam nouum artificium Cl. SCHIRACH ante aliquot annos libello ſingulari deſcripſit **), Cl. GLEDITSCHIUS pluribus docet.

Ad annum 1761 ſequentes commentationes ad claſſem philoſophiae experimentalis relatae ſunt.

1. *Meditationum dioptricarum pars III. continens principiorum theoreticorum, in prioribus partibus duabus conſideratorum, applicationem ad praxin conficiendi teleſcopia eiuſmodi, in quibus omnium maxime proficua diſpoſitio lentium ocularium obtinetur.* Auctore Ill. Com. DE REDERN. Principiorum theoreticorum p. 3.
praeſtantia maior cogitari nequit, quam ſi ita comparata ſunt, vt eorum ope inſtrumenta, quibus nobis ad interiorem rerum naturalium cognitionem aditus patet, corrigi et perfici poſſint. Ill. itaque Auctor, expoſita anno ſuperiori theoria, teleſcopia dioptrica, catoptrica ac microſcopia ab artificibus conſtrui ſolita, diiudicat primum; conſideratis deinde lentium obiectiuarum ac ocularium, ad ea adhibendarum, figura, numero, coordinatione, diſtantiis, aperturis cum diſtantia rerum, per ea conſide-

 randa-

*) Cap. XI. §. 9.

**) *Der Sächſiſche Bienenvater, ein practiſches Bienenbuch für Bienenfreunde und Hausväter mit vieljährigen neuen Erfahrungen herausgegeben von* A. G. SCHIRACH *mit einer Vorrede des Herrn Prof.* SCHREBERS. *Zittau.* 1766. 8. *m. K.*

randarum, ſagaciter perſequitur viam radiorum, imagines efformantium, locosque, vbi eae exhibentur, ac tandem ingenioſe notat, multo fieri poſſe perfectiora teleſcopia aſtronomica ac terreſtria, ſi in focis interſerantur lentes collectiuae; quibus maior viſionis campus aliaque commoda obtinentur. Vt vero et figura et numerus et coniunctio lentium collectivarum cum lentibus obiectiuis ac ocularibus rite in praxi determinentur, Auctor Ill. luculenter exponit problema, qua ratione lentes collectiuae cum lentibus obiectiuis ac ocularibus ea ratione combinandae ſint, vt teleſcopia fiant perfectiſſima, ac cum omnes ſimul perfectiones in vno obtineri nequeant, primo generalem omnium partium perfecti teleſcopii delineationem tradit, deinde ſpecialius, qua ſingulas partes, ea accurate in diuerſis hypotheſibus deſcribit, h. e. in quibus vel potior ratio augmenti vel viſionis campi, vel claritatis ac diſtinctionis habetur, eademque arte examinat teleſcopia catoptrica ac microſcopia, praeſcribens iis regulas, qui praxin hanc exercent, quibus obſeruatis, vtiliſſima haec inſtrumenta multo perfectiora fieri ſpondet.

p. 41. 2. *De reſiſtentia fluidorum commentatio.* Cl. SULZERI. Leges reſiſtentiae fluidorum, a NEWTONO demonſtratae, eiuſmodi deprehenduntur, vt in aliquibus caſibus, cum experimentis inſtitutis, ſatis bene conueniant, in aliis vero caſibus, praecipue, vbi ex iis computatur reſiſtentia aeris, ab experimentis plane aberrent. Quod inprimis experimenta, a LULOFFIO, Prof. Math. in molendinis, vento agitatis, capta edocuerunt, vtpote quae vltrà dimidium aberrabant a calculis ac computatione, quam ea theoria NEWTONI, ſumma, qua pollet ingenii ſagacitate, in his actis Cl. EULERUS exhibuit. Cauſſas, cur reſiſtentia fluidorum ad leges calculi adhuc revocari

vocari non potuerit, Auctor Cl. perquirens, eas in eo quaerendas esse arbitratur, quod ad easdem leges et resistentia fluidorum, quae, vt aqua, nullatenus comprimi possunt, et fluidorum quae, prout aer comprimuntur et compressa fiunt densiora ac maiorem consequuntur elasticitatem, exiguntur. Quod vt luculentius pateat, Auctor Cl. elementa vberius exponit resistentiae aquae, quae a moto corpore superanda, distincte vero etiam enumerat, quae ad priora ex compressione aeris, auctaque inde eius densitate ac elasticitate accedunt, motumque corporis imminuunt, singulaque more geometrarum formulis differentialibus complectitur.

3. *De rara quadam specie augmenti corollae in centro pistilli iridis flore monstrosa et alio singulari augmento in lilio albo.* Auctore Cl. GLEDITSCH. p. 50. Plantae monstrosae, augmento corollae conspicuae, ob accessum succi nutricii copiosioris crebrius conspiciuntur et Cl. Auctor in iride singulare exemplum proponit. Iris enim pratensis angustifolia altior C. B. P. quae in pratis vliginosis passim crescit, per culturam singulari modo aucta erat. Destituebantur autem flores ouario, cui alias corolla monopetala sexfida insistit et membranaceas petalorum expansiones auctas et multiplicatas referebat. Praeterea super hanc corollam plenam stylus, qui ex centro ouarii emittitur, exiguus erat, sed satis crassus, cum ouario destructo nullus eius vsus esset. Stigma tandem conspiciebatur imperfectum, etsi et hoc quodammodo inaequale, monstrosum et laminis paruis refertum apparebat. Stamina tunc inutilia sunt et filamenta cum antheris in membranas mutantur cum corolla aucta cohaerentibus. Organis igitur fructificationis prorsus destructis, nulla propagatio ex seminibus expectanda est, etsi interdum stamen

cum anthera ſterili et ouarii quaedam veſtigia conſpiciantur.

p. 56. In flore lilii albi, corolla magna conſpicui, piſtilli illam partem, quam ſtylum dicimus, craſſam et cavam, et in eo diſſecto aliud piſtillum breuius deprehendit. In regno animali vterus quidem duplex vel bipartitus in feminis, vterum ſimplicem habentibus, deprehenſus eſt, nunquam vero vterus intra vterum, in vegetabili autem regno pomum aurantium minus in maiore et legumen minus in maiori inventum eſt. Monet Cl. Auctor in vegetabilibus organa, ad generationem pertinentia, magis monſtroſa fieri, ac alias partes, quam mutationem anthophyli etiam ſuis artibus in detrimentum verae vegetationis augent.

p. 59. 4. *Obſeruationes de ſcirrho et abſceſſibus cerebri, explicationibus phyſiologicis et pathologicis additis.* Auctore Cl. MECKEL. Laeſiones partium morboſas interdum veram naturam et fabricam viſcerum declarare certum eſt, qua ex cauſſa Noſter in cerebro, cuius fibrae medullares a nonnullis ſolidae, ab aliis tubuloſae dicuntur, diſquiſitiones inſtituit.

Femina quinquaginta annorum, partim ob nimis ſeueras mariti caſtigationes, partim ob ſpiritus vini abuſum de doloribus capitis ſaepius conqueſta et motibus epilepticis agitata, per dies integros ſaepe dormiens, de reliquo ſtupida, tandem, febre acuta ſuperueniente, obiit. In cadaueris diſſectione ſequentia praecipue obſeruata ſunt. Corticalis cerebri ſubſtantia ex cinereo pallida, anfractibus non conſpicua, venis, ſanguine ferme deſtitutis, cincta erat, et ad tactum maximam partem renitebatur. Diſſecto hemiſphaerio ſiniſtro, ſubſtantia anterior mollis, ſero foetido ſcatens, ad cornu vero ammonis poſterius ſcirrhus, ex tribus globis ceu nucibus conjunctis formatus, duarum vnciarum et duarum drachma-

drachmarum pondere, vſque ad occiput extenſus, ſubſtantia molli cinctus, reperiebatur. Hoc caute remoto, ſerum copioſum ex ventriculo effluebat, hemiſphaerium vero ipſum maxime extenſum et verſus dextrum preſſum erat. Corpus calloſum itaque non ſub falce ſitum erat, ſed verſus dextrum latus antrorſum directum et tenue. Praeter ſerum limpidum, quod copioſe ex ventriculis anterioribus effluebat, et ſepti lucidi et thalamorum neruorum opticorum preſſionem verſus dextrum latus commemorat. In tertio ventriculo ſub commiſſura anteriori cerebri praeter orificium circulare verſus infundibulum directum, aliud, ouale amplius, apparebat, quod tamen tenui lamina corticalis ſubſtantiae clauſum erat.

Ex hac obſeruatione Cl. Auctor concludit, me- p. 63.
dullarem ſubſtantiam cerebri eſſe tubuloſam, quod, ſcirrho nato et ita cohibito affluxu humorum ad hanc partem, non corticalis adeo, ſed medullaris quoque ſubſtantia vltra modum aucta, affluxum fluidi ad tubulos medullares elongandos auxit. Sententiam veterum de deſcenſu humorum viſcidorum et excrementitiorum ad glandulam pituitariam negat, etſi tubulum corticalem ſubſtantiae infundibuli ad glandulam pituitariam concedat. Glandulam pituitariam partem cerebri dicit, cum infundibulo coniunctam, quae ſinubus cauernoſis et ſphenoidealibus infixa, ex calore ſanguinis in liberiori humorum circulatione iuuatur. Deſcenſum humorum excrementitiorum ad baſin cranii non declaratum videmus.

Stupiditatem et ſomnolentiam compreſſionem a p. 67.
ſcirrho factam auxiſſe, ex eo declarat, quod in elongatis et laxis ſiniſtri et in compreſſis tubulis medullaribus dextri lateris, fluidum nerueum non prompte ſuccedere potuerit, conuulſiones vero intercurrentes ex irritatione ſeri acris ortas eſſe. Commemorat

morat itaque abſceſſum, in lobo poſteriori hemiſphaerii ſiniſtri viui, poſt contuſionem capitis vehementem ortum, quem tamen in geneſi ſua et progreſſu nulla ſenſuum internorum perturbatio ſequuta eſt, rupto tamen per acrimoniam puris vaſe magno et ſanguine ita effuſo, apoplexia tactus eſt aeger, ex qua tertio die mortuus eſt. Ex his obſeruationibus itaque concludit, abſceſſum ſine animi perturbatione per plures annos in cerebro latere poſſe, compreſſionem vero a ſcirrho vel extrauaſato ſanguine ſtupiditatem et mortem inducere.

p. 69. Deſcribit porro in femina abſceſſum, diu latentem, ruptura ſua ſubito lethalem, et ſcirrhum, in hemiſphaerii ſiniſtri lobo poſteriore natum in infante quatuor annorum, ex quo, licet incrementum corporis recte ſuccederit, ſtupiditas tamen a prima infantia ad mortem vſque obſeruata eſt. Ideoque etiam de iuuene adhuc ſtupido viuente, de cuius morbi hiſtoria varia refert, ſcirrhum potius, quam abſceſſum in cerebro ortum eſſe autumat et colligit tandem, in obſcuris cerebri morbis diſquiſitionem contuſionum maxima cum cura eſſe ſuſcipiendam.

p. 73. 5. *Breuis deſcriptio monſtri humani.* Auctore Cl. ROLOFF. In infante felici partu edito et ad quintam horam viuente, caput quidem nulla hydrocephali veſtigia exhibebat, maxime tamen monſtroſum inueniebatur. Oſſa caluae, maxime imperfecta, accurate deſcribuntur, his deficientibus, cute, varia craſſitie conſpicua, cerebrum obtegebatur, quae tamen in ſaccos irregulares extenſa erat, ex quibus vnus ab oſſe frontis dextrorſum vſque ad mentum deſcendebat. Per tenuem cutim oſſis frontis cerebri cortex et anfractus in dextro hemiſphaerio et falciformis proceſſus intra hemiſphaeria dimiſſus apparebant. Oculi maxime diſtabant et mire mutati erant,

oſſa

ossa maxillae superioris et nasus ipse non detegi poterant, nisi imperfecte in sacco descendente. Labium superius dextrorsum fissum, inferius vero et auris dextra solito maiora erant. Haec de capite enarrata sufficiant, quae de reliquis partibus Cl. Auctor refert, repetere non iuuat. Foetus vero monstrosus, duplici icone addita, ostenditur.

Quanquam vero mater imaginationi peruersae p. 78.
attribuit has mutationes, nullam tamen huius rei caussam nec a morbo, nec a terrore referre potuit. Situm itaque peruersum in vtero matris caussam esse, Noster monet et porro dicit, paulo post conceptionem compressiones capiti applicatas fuisse. Vixit tamen foetus vsque ad partum, a compressione cerebri in reliqui corporis incremento non impeditus. Pedis dextri singularem curuitatem, quam Noster commemorat, ex situ peruerso quoque declarat, cauda vero exigua ad anum elongatio cutis erat.

II.

A full and plain account of the gout; from whence will be clearly ſeen, the folly, or the baſeneſs, of all pretenders to the cure of it: In which every thing material by the beſt writers on that ſubiect is taken notice of; and accompanied with ſome new and important inſtructions for its relief, which the Author's experience in the gout above thirty years hath induced him to impart. The ſecond Edition corrected. In which is added an index. By FERD. WARNER, L. L. D. London. Printed for T. Cadell. 1768. 8. pl. 20½ *).

i. e.

Perfecta et perſpicua narratio de arthritide: ex qua clare patet ſtultitia vel vilitas omnium, qui curationem ipſius iactant: in qua notitia omnium ad ſubiectum iſtud pertinentium ex optimis ſcriptoribus exhibetur, adiunctis quibuſdam nouis et magni momenti inſtructionibus ad eam leniendam, ad quas communicandas Auctorem experientia in arthritide per triginta annos induxit. Auctore FERDINANDO WARNER.

Quamquam auctor huius operis ipſe medicinae ſe non dicauit, ipſa tamen morbi eiuſdem longior duratio eum ad indolem illius cognoſcendam et ad

*) Quod germanice prodiit: FERDINAND WARNER'S *vollſtändige und deutliche Beſchreibung der Gicht. Aus dem Engliſchen überſetzt.* 1770. 8.

ad varias in eo adhiberi ſolitas medendi methodos diiudicandas non potuit non aptum reddere. Experientia igitur edoctus, librum hunc conſcripſit et qua ratione morbum, quocum conflictatur, tractet, tradidit: ſe autem in eo recta via inceſſiſſe, ipſe euentus docet, cum, vt in calce libri profitetur, prouectior aetate iam vix tres vel quatuor hebdomadas per annum ab arthritide excrucietur, quae antea eum totidem menſes quotannis vexauerit. Licet autem titulus ſatis amplus ſit ad cognoſcendum finem, quem ſibi praefixit Cl. Auctor: pleniorem tamen ipſius libri notitiam Lectoribus noſtris dare, omnino fas atque iuſtum duximus.

Multa ſunt in deſcriptione morbi huius, quae captum noſtrum ſuperant: inprimis autem intelligi non poteſt, qui fiat, vt iſte interdum adeo ſubito a capite in pedes e. ſ. p. tranſeat, vt velocitatem fulguris aemuletur. Praemiſſa notione triplicis digeſtionis ſeu elaborationis humorum, eaque ad arthritidem applicata, vbi ſimul monetur, homines in ſudores procliues ab hoc morbo plerumque immunes eſſe, ſtabilitur eiuſdem ipſius idea, quod pendeat a retentione materiae qualiscumque indolis, liberare ſe annitentis, quae niſi mediantibus excretionibus, ex corpore eliminetur, praecipue in extremitatibus ſeu in glandulis articulorum haereat, quod CHEYNEO iudice a compreſſione minimorum vaſculorum in articulis oritur, quam protuberantiae oſſium efficiunt; accedunt minuta glandularum fabrica et languor fluidorum, in iis mouendorum, ob maiorem a corde diſtantiam. Poſtmodum SYDENHAMII deſcriptio arthritidis regularis repetitur et varia ad eam explicandam adduntur. Praecipua arthritidis acquiſitae cauſſa praediſponens in ipſius corporis habitu conſiſtit, quare impoſſibile eſt, inuenire remedium, quod arthritidem perfecte tollat; quod, examinatis

p. 14.
p. 17.
p. 27.
p. 29.
p. 30.
p. 31.
p. 46.

minatis nonnullis ſic dictis ſpecificis medicamentis, illuſtratur. Cauſſa autem propior, ab illa remota
p. 54. pendens, eſt turbata vel peruerſa elaboratio humorum potiſſimum in digeſtione tertia, quae in minimis partibus peragitur, praeſertim cum perſpiratio inſenſilis cohibetur a nimia mole vel craſſitie partium excernendarum, quae inde in locis minus aptis
p. 56. ſtagnando acrimoniam contrahunt. Accedunt autem aliae cauſſae, ſanguinis mixtionem deprauantes, quae fuſius explicantur, at omnes denique in adducta elaboratione peruerſa humorum collimant, quamquam alii Auctores hanc, alii illam tamquam
p. 69. principalem adducunt. Quod SYDENHAMIUS et QUINCIUS dixerunt, paroxyſmum arthriticum eo vſque durare, donec tandem materia peccans penitus ex corpore expulſa fuerit, ſua ipſius et aliorum experientia refutat Noſter, dum ſaepius, paroxyſmo prorſus, vt decet, finito et corpore ſanitati priſtinae, vt videbatur, reſtituto, morbum ipſum ſubito recrudeſcere ſenſit, ſimulac error quidam diaetae commiſſus fuerit; idque citius accidit, quam noua
p. 73. materies colligi potuerit. Error INGRAMI, arthritidem multos alios morbos arcere aut tollere negantis, refellitur auctoritate SYDENHAMII, MUSGRAVII et QUINCII proprioque ratiocinio et ipſam potius criticam ſolutionem morbo-
p. 76. rum, inprimis neruoſorum, quam morbum ipſum eſſe euincitur.

p. 78. Arthritidis regularis deſcriptionem delineatio eiuſdem irregularis ſeu anomalae, ex SYDENHAMIO et MUSGRAVIO hauſta, ſequitur, quae diverſorum morborum, ſub quorum ſpecie ſe prodit, exactiſſimam notionem ſiſtit, nimirum doloris ventriculi, colicae, diarrhoeae, dyſenteriae, melancholiae, lipothymiae, aſthmatis, catarrhi, tuſſis, peripneumoniae, phthiſis, anginae, cephalalgiae, vertiginis,

ginis, apoplexiae, paralyſis, dolorum vagorum in dorſo, lumbis cet. ophthalmiarum, odontalgiae cet. Cuius indolis ſit materies arthritica, auctores mul- p. 109.
tum diſputauerunt, quarum tamen diuerſae ſenten- p. 124.
tiae in quatuor claſſes redigi queunt. Alii enim eamdem in acrimonia putridi caloris et viſciditate fluidorum, alii in acrimonia vrinoſorum, tartareorum aliorumue ſalium, alii in acrimonia partium terreſtrium, non ſolutarum, alii denique in ſuperabundantibus partibus mucilaginoſis abſque vlla acrimonia poſuerunt. Prior ſententia non vniuerſalis ſa- p. 129.
tis eſſe, neque ad ſummam vehementiam paroxyſmorum, neque ad originem ſedimenti ſabuloſi in vrina declarandas ſufficere videtur, licet in obſeruandis cautelis, ratione regiminis, nihil damnoſi inde ſequatur. Alteri ſententiae ſequentia repugnant: in p. 130.
ſtatu naturali ſales non abundant in ſanguine, quare opus eſt, vt in illud demum ingerantur. Sed qui per vegetabilia induci poſſunt, nimis vel ſubtiles redduntur, vel diluuntur, quam vt nocere poſſint; ex animalibus autem partibus magis arte producitur ſal, quam natura ipſi ineſt, qui nocere queat. Porro ſales obſtructiones potius reſoluunt, quam generant: inde etiam varia eorum genera in ipſo morbo noſtro a medicis in vſum vocantur. Nautae, nullis fere, niſi ſalitis, cibis vtentes, arthritide rariſſime afficiuntur. Exemplum narratur hominis, per triginta annos arthritide laborantis, qui perpetuo cibis ſalitis veſcebatur et optime ſe habebat, deficiente autem ad eos capiendos appetitu, poſt breuiorem morbum anno ſeptuageſimo tertio moriebatur. Tertia p. 143.
ſententia, cuius Cl. JAMES auctor eſt, veritati quam maxime reſpondet, neque vllum exſtat phaenomenon, quod ipſi repugnet. Quarta demum, quam nuper LIGERIUS propoſuit, paullo acrius p. 145.
refutatur, quod idem Auctor vehementius contra

p. 150. SYDENHAMIUM insurrexit. Partes constitutiuae mucilaginis, paucae nempe oleosae, at multae terrestres cum satis insigni quantitate aquae et aeris coniunctim sumtae, etsi assumamus, easdem in prioribus digestionibus et elaborationibus non disiungi, adeo abundare nequeunt in minimis vasculis, vt ea sola copia irritent et adeo exquisitos dolores efficiant; sed omne momentum necessario ad eas, quae omnium difficillime soluuntur et transpiratione expelluntur, hoc est, terreas, redit.

Exposita morbi theoria, ad curationem Nostr-
p. 151. progreditur. Cum saepe cruditates primarum viarum paroxysmum arthritidis regularis antecedant, vomitus ciendus est infuso cardui benedicti vel florum chamaemeli, aut vbi maiori stimulo opus est, remedio ab HUXHAMO praescripto, quod ex infu-
p. 152. so ipecacuanhae cum sale absinthii, additis aqua chamaemeli et syrupo florum acaciae consistit. Venaesectio in plethoricis tantum, nec diu iam morbo affectis ante emeticum administranda est. Altero post vomitum die lene laxans ex infuso foliorum sennae, addito sale GLAUBERI, sumatur. Diaeta praeterea strictior seruanda est, abstinendumque ab omni animali victu. Ipso praesente paroxysmo, potus diluens calidus copiose vsurpandus, vesperi autem sero lactis vinoso cum sale volatili oleoso vtendum. Commendatur etiam infusum saluiae, leniter acidulum redditum. Si potum frigidum concupiscit aeger, librae vni aquae fontanae addatur circiter vncia vna aquae menthae et sufficiens quantitas sacchari canarienſis, vel syrupi papaueris erratici, quo potu per
p. 156. noctem vti potest. Vini vsus prorsus interdici nequit: sed consuetudinis et gradus morbi rationem haberi oportet. Alimenta vero parce, eaque facilioris digestionis, exhiberi debent. Materia autem,
p. 157. iam ad articulos delata, licet febris perduret, victus anima-

animalis parcior in prandio conceditur, addito tamen largiori piperis vſu. Neque cereuiſia aſſuetis ſubtrahenda eſt; qui vero eam recuſant, ſumant in prandio aquam, in qua ferrum candens exſtinctum ſit, calidam, et tres aut plures, ſi opus eſt, vini cyathos ſuperbibant. Arthritis inueterata, vel integra membra occupans, ſtrictiſſimam regularum diaeteticarum obſeruationem poſcit; non aeque ſimplex vel quae vnum tantum duoue loca tenet. Quo perſpiratio obtineatur, aeger, paroxyſmo ingruente, protinus lectum petat et partem affectam panno aſperiori (*Flanell*) inuoluat, lectumque relinquens, tumorem arthriticum lana ouilla carpta et panni eiuſmodi ope firmanda, obtegat, vt liberioris aeris acceſſus arceatur, neque tamen perſpiratio impediatur. Exercitium, durante ipſo paroxyſmo, ex SYDENHAMIO ſuadetur; refrigerium ſollicite caueatur. Quae autem requirantur ad vectionem in curru, quam idem commendat, fuſius enumerantur. Si paroxyſmi vehementiſſimi ſunt et agrypniam ſummosque dolores inducunt, opiatis, quae plurimi adeo reformidant, opus eſt: quare elixir anodynum commendatur, quod ex opio, ſapone tartari et hiſpanico, camphora et aromatibus quibusdam conſtat, in ſpiritu ſalis ammoniaci dulci digeſtis. Hoc caute vſurpato, paroxyſmus, qui alias ad vnum vel duos menſes extenditur, duarum hebdomadum ſpatio, reſolutione praeſtita et excitata largiori perſpiratione, abſoluitur. Sin hoc ipſum remedium non ſuffecerit, laudanum a Cl. JONES praeſcriptum ſeu ſolutio aquoſa opii eidem iungi debet. Alui obſtructionem inde forte oriundam clyſteres emollientes et lubricantes ex iuſculo veruecino, oleo amygdalarum et ſaccharo tollunt. De vſu opii poſtmodum copioſe diſſeritur, idque ab obiectionibus factis vindicatur. Ille tamen, etſi magnus, vniuerſalis tamen

p. 159.
p. 160.
p. 161.
p. 163.
p. 164.
p. 167.
p. 173.
p. 182.

non eſt: neque enim ipſi locus datur, niſi paroxyſ-
mus iam perfecte formatus fuerit, neque vbi, quod
tamen rarius contingit, diarrhoea critica accedit.
p. 185. Purgantia in paroxyſmo exhibere, alienum eſt. To-
p. 186. picis, praeter iam commendatum lanae pannique aſ-
perioris vſum, nullis opus eſt, niſi frictione, aut non-
numquam pauxillo elixirii anodyni, mediante pluma,
applicato, aut pauca quantitate olei purioris, ſi pars
p. 188. affecta tumeſcere incipiat. Declinante paroxyſmo,
diaeta accuratiore opus eſt, tumque purgantia ſaepe
minus neceſſaria vel adeo noxia ſunt: collectas ta-
men nimia quantitate in primis viis cruditates pur-
gante, eoque altero vel tertio die repetito, expellere
oportet; ſingulo autem purgante ſumto, veſperi opi-
ati doſis proportionata ſubiungenda eſt. Haec ſto-
machica et roborantia excipiant: exercitatione ta-
p. 193. men corporis eorum actio iuuanda eſt. Pars affecta,
quam diu rubet, panno ſuperius dicto, quo ſuffitus
ex maſtiche exceptus fuerit, fricetur et poſtmodum
balneum aquae ſalſae tepidum per aliquot dies ve-
ſperi adhibeatur, quod demum frigidum excipiat,
donec robur et elaſticitas fibrarum reſtituta fuerit.
p. 195. Ad praecauendam partis debilitatem formulae duo-
rum cataplaſmatum, ab aliis laudatorum, communi-
cantur, quae vero Noſtro minus placent, qui po-
tius arenam calidam, in quam membrum affectum,
panno ſaepe dicto obuolutum, immittendum eſt, vel
turfum ſuadet.

Haec de arthritide regulari. Quae nunc de cura
p. 198. irregularis commemorat Auctor, aeque vt deſcriptio-
nem variarum ipſius ſpecierum ex opere MUSGRA-
VII petiit, paucaque tantum de ſuis hinc inde
adſperſit: in huius ergo ſectionis recenſione breuio-
p. 205. res eſſe poterimus. Si materia arthritica caput, aut
ventriculum, aut inteſtina occupauit, Cl. Auctor re-
medium quoddam ſummis laudibus extollit, quod
confici-

conficitur ex vuarum paſſarum conciſarum libra dimidia, ſennae drachmis duabus, ſeminum coriandri et foeniculi ſingulorum drachma vna, coccionellae, croci et glycyrrhizae ſingulorum drachma dimidia, rhabarbari minutim conciſi vncia vna, quae omnia cum ſpiritus vini gallici menſura vna per decem dies digerenda ſunt, poſtmodum colanda et ſpeciebus iſtis denuo libra vna dicti menſtrui ſuperaffundenda et vtrumque demum inter ſe commiſcendum eſt. Doſis ſit quatuor vel quinque cochlearium in aequali portione aquae tam calidae, quam ferri poteſt, eaque, niſi malum ceſſet, omni ſemihorio repetenda, vel ſi vomitus medicamentum reiiciat, decem guttae laudani, ſuperius commendati, in drachmis duabus aquae cinnamomi vel menthae in interuallis adhibendae ſunt. In angina Auctor ex mente Cl. COOK p. 221. tracheotomiam, ope cannulae et acus triquetrae factam, alteri methodo inciſionis praefert. Expoſitis his ex MUSGRAVIO, ſubiungitur cura morbi no- p. 232. ſtri, cum calculo coniuncti, ex SYDENHAMIO. Peculiarem ſpeciem arthritidis anomalae LIGERIUS deſcripſit, quam in iunioribus hominibus, parentibus arthriticis vſis, voracibus inprimis et habitus laxioris obſeruauit, quae abſque vllo alio ſuae praeſentiae indicio pulmones, ventriculum et praeſertim renes obſidet et ſaepe aegros, viribus nimis debilitatis, iugulat.

Accedit nunc Auctor Noſter ad ea, quae in in- p. 238. teruallis morbi obſeruanda ſunt, quae ad quatuor capita referi queunt, ad aerem nempe, medicinam, exercitium et diaetam. Quod primum ſpectat, aer p. 241. liberior in rure vrbi praeferendus eſt, quod iam SYDENHAMIUS ſuaſit. Humidus quam maxime nocet et tum potius domi, in conclauibus adhibenda exercitationum genera, excogitanda ſunt, cum ea in aere liberiori inſtitui nequeunt. Maxime in ge-

nere nocet aer nocturnus, quare SYDENHAMIUS hiberno potiſſimum tempore tempeſtiue cubitum
p. 244. eundum iuſſit. Medicamenta primaria vires digeſtionis confirment, quod autem non paucis diebus, ſed longo eorum vſu efficitur: inde quotidianus vſus tincturae corticis Peruuiani et elixirii vitrioli
p. 192. MYNSICHTI, ad praeſcriptionem QUINCII parati, quae iam olim ſub declinante paroxyſmo morbi ſuadebantur, rurſus commendantur, ita tamen, vt prius medicamentum per vnum, alterum per duos menſes vſurpetur et ita alternatim ſumantur.
p. 248. Purgantia ex mente SYDENHAMII ſemper nocent, dum corpus eneruant et vires digeſtionis debi-
p. 251. litant, cui Auctor ipſe contra CHEYNEUM adſtipulatur: ad aluum tamen liberam ſeruandam parcam doſin hierae picrae vel in puluere, vel ſolutam ſpiritu vini, quotidie veſperi ſumendam, commendat, aut vbi corpus aloetica non ferat, infuſum vinoſum ex aequalibus partibus rhabarbari, corticum aurantiorum et ſeminis carui ſuadet. Flores ſulphuris,
p. 256. quorum vſum CHEYNEUS laudat, Noſter reiicit,
p. 257. quod primas vias relaxant. Vomitoria magis praecauent collectionem peruerſorum humorum: inde omni menſe infuſo cardui benedicti vel florum cha-
p. 259. maemeli ventriculus eluendus eſt. Aqua Bathonienſis egregium vſum praeſtat, quem CHEYNEUS
p. 263. iam depraedicauit. Inter medicamenta externa fonticuli, alterutri vel ambabus ſuris applicati, non vltimi vſus ſunt, quos INGRAMUS multis laudibus extollit. Si concretiones calcareae, laceratis vaſcu-
p. 264. lis et eroſa cuticula, exitum quaeſiuerint, reformidat Auctor conſolidationem horum vlcerum, quam CHEYNEUS praecipit, eaque potius aperta ſeruanda iubet, vt vices fonticuli gerant. Cum autem
p. 265. omnia medicamenta exercitio corporis iuuanda ſint, de eo fuſius agit Noſter, quorſum etiam refert moderatio-

derationem affectuum animi. Balneorum nemo fere Auctorum mentionem fecit. CHEYNEUS magni facit balnea calida ex aquis Bathonienſibus, quibus tamen ex mente Noſtri Auctoris aqua marina praeſtantior videtur: ſed ipſum SYDENHAMII de iis ſilentium ea ſuſpecta reddit. Frigida vero, quae itidem CHEYNEUS extollit, periculoſa videntur ob facile reprimendam materiam arthriticam: robur autem, ab iis exſpectandum, frictionibus et exercitio corporis totius obtinetur. Quod tandem diaetam attinet, generalis SYDENHAMII regula eſt, ne plus alimenti aſſumatur, quam digeri poſſit, neque minus, quam conſeruandis viribus ſufficiat. Ipſa tamen alimenta pro conſtitutione corporis differre queunt; in genere autem aſſata coctis praeferenda ſunt. Salis etiam moderatus vſus accedere debet. Iuſcula concentratiora et diaeta lactea vires digeſtionis nimis debilitant. Potus fermentatus immerito a SYDENHAMIO plane reiicitur: moderatus enim eius vſus omnino concedendus eſt. Conducit inprimis mulſa, paucis atque lenioribus aromatibus additis. Serum lactis etiam tamquam potus ordinarius ſummae vtilitatis eſt, quam iam celeberrimi medici meritis laudibus extulerunt.

p. 277.

p. 279.

III.

D. IOHANN CHRISTIAN DANIEL SCHREBERS, *der Kaiſerl. Academie der Naturforſcher, und der Leipz. Oeconom. Geſellſchaft Mitglied, Beſchreibung der Gräſer, nebſt ihren Abbildungen, nach der Natur. Erſter Theil. Leipzig bey S. L. Cruſius, in groß fol.* 1769. 154. *Blätter, nebſt* 20. *Kupfertaf. auch einer Dedic. und Vorrede von* 20. *Bl.*

h. e.

Deſcriptio graminum, additis eorum iconibus ad viuum delineatis. Auctore I. C. D. SCHREBER.

Licet inter veteres C. BAUHINUS, dein MONTI et SCHEUCHZERUS maxime graminum hiſtoriam enodare et illuſtrare ſuſceperint, eorumque icones et deſcriptiones exhibuerint et recentiſſimo tempore HALLERUS, praecipue et LINNAEUS eundem laborem continuauerint, omnia plenius et perfectius expoſuerint et genera, ſuis characteribus definita, propriisque nominibus inſignita, conſtituerint, difficultatem nihilominus ſummam in hac plantarum claſſe ſupereſſe, plurimaque adhuc perficienda reſtare, facile nobiscum fateri debent omnes, qui naturae diſquiſitionem amant, plantasque ſtudioſius contemplari ſolent. Merito itaque Cl. Auctoris operam laudare debemus, dum partim botanicis et oeconomis graminum examen et diſquiſitionem facilitare, partim eorundem vſum, vel ex his in naturae oeconomia expectanda commoda et incommoda plenius exponere, atque hac ratione omnibus fere numeris abſolutam graminum hiſtoriam condere voluerit.

Tria autem maxime ſunt, per quae plantarum et graminum praecipue cognitio facilis reddi poteſt; ſyſte-

ſyſtematicus ſcilicet ordo, perfectiſſima deſcriptio et accurata delineatio. Facillimam et breuiſſimam quidem viam, qua ad cognitionem eorum peruenire poſſimus, primum illud exhibebit auxilium; dum vero gramina ſecundum ſyſtematis leges ordinare et diſquirere volumus, plures occurrunt difficultates et exercitatus ſaepe botanicus dubius relinquitur. Hinc vel ideo, praeterea cum per partes edendum eſſet opus, ſyſtematicum ordinem neglexit Cl. Auctor, duobus vero reliquis adminiculis vbique feliciter vſus et in deſcribendis et delineandis his plantis ſtudioſiſſimus fuit. Deſcriptiones omni modo abſolutae ſunt, ſingularum partium figuram, magnitudinem, numerum, colorem et ſic porro dilucide expoſuit, id quod perpetuum eſt, vel ex loco natali aliisque cauſſis, in vna vel altera parte, variare ſolet, ſollicite annotauit, ſpecierum, quas expoſuit, examen nouum Ipſe ſuſcepit, hinc aliorum errores ſaepius indicauit, omniaque ea, quae modo a plantarum deſcriptore deſiderari poſſint, egregie impleuit; vbique etiam cum generico triuiale, latinum et germanicum nomen praemiſit, copioſa auctorum ſynonyma adpoſuit et, in aliis linguis vſitata nomina addidit, loca natalia porro curioſius adnotauit, graminum morbos memorauit, vſumque, oeconomicum praecipue et in pabulo animalium praeſtantiam, in pratis artificialibus parandis vtilitatem et colendi rationem vel ex propria, vel optimorum Auctorum experientia, in vſitatis ſpeciebus ſtudioſe expoſuit. Alterum quoque cognitionis facilitandae adiumentum, delineationem ſcilicet, aeque bene exhibuit Cl. Auctor et integram plantam, omnesque eiusdem partes, minimas quoque florum, microſcopio aliquando auctas, iconibus egregie ſculptis, in tabula illuſtrauit, easque nitidiſſimas praeſtantiſſimorum hoc in artificio Virorum, Cruſii et Geyſeri opera confectas fuiſſe, Ipſe

 monuit,

monuit, icones etiam viuis coloribus pictae, iis, qui deſiderant, exhiberi poſſunt.

p. 1. Praeter praefationem, operi praemiſit introductionem, qua de graminibus in genere egit, horumque definitionem, creſcendi et florendi modum in ſpica, vel proprie vel improprie ita dicta, et panicula, partium vel communium, vel huic claſſi ſaepius propriarum, hinc plerumque ſingularibus nominibus inſignitarum, vt radicis, culmi, foliorum horumque vaginae, floris ſeminisque diſpoſitionem, fabricam, numerum cet. expoſuit. Haec omnia repetere non licet, paucis modo floris ideam exhibeamus.

Suos quoque flores proferunt gramina, licet ab aliis plantarum floribus, egregia colorum varietate ſaepius conſpicuis, multum, praeſertim in fabrica et ſitu partium, recedant. Foliola namque, quae futurum ſemen et fructificationis partes tegunt, nec circularem ambitum conſtituunt, nec vni tantum lateri adhaerent, ſed ſibi inuicem opponuntur et duo latera occupant; deinde calicis foliola corollae foliolorum dorſo incumbunt, non autem, vt in aliis, duplici inuolucro praeditis floribus, fieri ſolet, ſibi alternatim affiguntur. Duo eiusmodi foliola, ſtamina et piſtillum in ſe continentia, florem exhibent, qui vel ſolus, vel plures inter ſe iuncti, cum adhaerentibus exterioribus foliolis ſpiculam, vel locuſtam conſtituunt, quae hinc vni-bi-ſexflorae inueniuntur. In bifloris alter floſculus minori pedunculo inſiſtit, in multifloris citra glumas haeret pedunculus ſiue axis, cui alternatim affiguntur flores.

Editae hactenus fuerunt tabulae viginti, quibus ſpecies diuerſae delineantur et, deſcriptionibus additis, illuſtrantur. Cum autem de his copioſius agere haudquaquam poſſimus, recenſione ſpecierum ſimus contenti et nonnulla modo hinc inde excerpamus annotata. Eſt itaque:

Tab.

Tab. I. Auena elatior, *Wieſen-Hafer.* Praeſtantior haec graminum ſpecies, nomine *Franzöſiſches Ray-Gras* cognita, in pratis colendis optime conducit, culmum gerit altum, ſucculentum, foliaque longa, lata et molliora, dulcem habet ſaporem, animalibus gratiſſimum et in recenti ac exſiccato ſtatu egregium praebet pabulum, tam ſi ſola, quam aliis immixta adhibetur; praeterea copia quoque ſeſe commendat, pratumque auena hac diues; duplam fere quantitatem foeni exhibere ſolet, commode in pratis per ſexennium durat et quotannis ter, quaterque, immo quinquies eandem metere poſſumus.

Tab. II. Feſtuca elatior, *Wieſen-Schwingel*, et haec praticultoribus commendatiſſima eſſe debet, et priori vix inferior erit.

Tab. III. Feſtuca fluitans, *Manna-Schwingel.* Verum haec eſt gramen mannae eſculentum, *Schwaden* germanice dictum et non ſolum pabulum praebet animalibus, inprimis equis et ſuibus gratiſſimum, ſed ſemen quoque ad noſtra alimenta pertinet. Cum autem ſpecies, ex quibus ſemen illud mannae (*Schwaden*) deſumitur, a multis Auctoribus inter ſe confundantur, in illis enodandis determinandisque multum operae SCHREBERUS poſuit; citatam vero illam eſſe, ex qua Poloni aliaeque gentes ſemina colligere et aliis vendere ſolent, aliorum partim teſtimoniis, partim propria experientia ſtabiliuit, ſeminaque haec colligendi et praeparandi modum copioſius expoſuit.

Tab. IV. Cenchrus racemoſus, *Rothes Klebgras.* In Galliae et Italiae fabuloſis, praecipue maritimis locis creſcit, attamen apud nos quoque ſub dio facile durat, multumque ſe multiplicat et forte pro coërcenda mobili arena adhiberi poſſit.

Tab. V. Anthoxanthum odoratum, *Gelbes Ruchgras.* Peculiari floris fabrica et binario antherarum numero

numero facile quidem, optime tamen gratiſſimo ſuo odore ab omnibus fere graminibus diſcerni poteſt. Radix minus grate moſchum redolet, herbae autem odor debilior, aſt et multo gratior exiſtit, illi fere ſimilis, quem aſperula odorata, vel melilotus officinalis ſpirat, eundemque nunquam amittit, modo, ſi in ſicciori ſolo creſcit, fortior, in humidiori parum debilior deprehenditur et florendi tempore perfectiſſimus, poſtea paulo imminutus et in iuniori plantula denuo auctus adeſt, nec in exſiccatione eundem amittit. Pertinet ad illas ſpecies, quae ab omnibus animalibus cum voluptate et ſine incommodo deuorantur. Gratiſſimus ille odor, quem foenum ſpirare ſolet, fere vnice ab anthoxantho pendet, inſimul vero multum et ad odorem et bonitatem foeni confert modus, quo pabulares plantae in foeniſecio tractantur et dein conſeruantur. Hinc Cl. Auctor occaſione huius graminis peculiarem de foeno, optimaque illud exſiccandi et conſeruandi ratione tractationem exhibuit, multumque de multiplicatione anthoxanthi diſſeruit, ac in colendis pratis ſerio commendauit.

Tab. VI. fig. 1. Bromus mollis, *Weicher Trift*, et fig. 2. Melica nutans, *glattes Perlgras* exhibentur. Prior ſpecies in variis Germaniae locis, in viis publicis, ad ſepes, in agris, in ſicciori, argilloſo, lapidoſo et arenoſo ſolo habitat et ab omnibus animalibus, dum vero in arena creſcit, ouibus praecipue, deuoratur. Facile ſeminibus ſparſis ſe multiplicat, humilis ſemper manet et ſecari nequit, pro arenoſo autem ſolo emendando et inde noua fertiliorique ſuperficie obducenda, commode inſeruit. Melica quoque et indigena planta eſt et alendis animalibus aptiſſima, cum vero in montoſis locis et ſcopulis creſcere ſoleat, feris praecipue conducit.

Tab.

Tab. VII. Nardus ſtricta, *Haarförmiges Pfriemgras*, *Borſten-Gras*. Stylo vnico facile et extra florendi tempus radice ſua, culmo, foliisque cognoſcitur. Perennis eius et filiformis radix horizontaliter decurrit et vndique ſquamis ita obducta eſt, vt, nonniſi diſſectione praemiſſa, videri poſſit; intra ſquamas exeunt criſpae radicis fibrae, recta in terram deſcendentes. Eſt vero planta oeconomis magis moleſta, quam grata, licet in tegenda et immutanda, immo praeparanda ſteriliori terra vſum habere videatur.

Tab. VIII. fig. 1. Cynoſurus criſtatus, *ſteifes Kammgras*, in Europa vndique et in diuerſo ſolo creſcit; inter pabulares plantas inferiorem quidem occupat locum, ſaginandis tamen ouibus optime conducit et earum carnem ſapidiſſimam reddit. Fig. 2. Dactylis glomerata, *rauhes Hundsgras*. Vndique fere, non viſu quidem, ſed tactu facile cognoſcendas ſpinulas gerit, durumque victum praebet, hinc a nullo animalium genere, niſi ab equis deuoratur; canibus medicinae loco inſeruit, qui folia pro excitando vomitu deglutire ſolent.

Tab. IX. Auena flaueſcens, *Gold-Hafer*. Non quidem ſeorſim in pratis coli, commode vero aliis plantis immixta tolerari debet, multumque cum auena elatiori conuenit.

Tab. X. fig. 1. Aegilops triuncialis, *rauhes Bartgras*, exotica et curioſa magis, quam nobis vtilis planta. Fig. 2. Phalaris Canarienſis, *Canarien-Glanzgras*, *Canarien-Saamen*. Semen, ex inſulis Canarienſibus ad nos delatum, nunc fere indigenum factum fuit; culturam huius fuſius deſcripſit et non ſolum paſſerculis Canarienſibus nutriendis inſeruire, ſed excorticatum ſemen hominibus quoque gratum victum exhibere poſſe monuit et plantam bulboſam, a LINNAEO ſeorſim deſcriptam, pro varietate declarauit Cl. Auctor.

Tab.

Tab. XI. Bromus giganteus, *Futter-Treſp.* Culmos ſucculentos et folia, reſpectu aliorum graminum, latiſſima, mollia et ſapida profert, meſſem copioſam edit, autumno adhuc viget. Et a bobus in deliciis habetur, hinc pabularis et cultura multiplicanda erit planta; id quod experimenta, a Cl. c. c. RIMRODIO, apud Quenſtedtienſes verbi diuini miniſtro, inſtituta et hic recenſita, ſatis et abunde confirmant.

Tab. XII. Phalaris paradoxa, *Forſkäls Glanzgras*, a FORSKAEHLIO ex Oriente allata planta ſingularem ſtructuram habet et curioſorum attentionem meretur.

Tab. XIII. Bromus inermis, *Queck-Treſp*, a LIVERO primum Halae, dein et in aliis Germaniae regionibus inuenta ſpecies, vel ideo notatu digna, quia euidenter inde cognoſcimus, ariſtas ſaepiſſime in hac plantarum familia variare. Obſeruauit Cl. RIMRODIUS tunc inprimis ariſtas easque longiores emittere bromum, quando in vmbroſis creſcit, immo et alio loco in vmbroſum tranſplantata planta ariſtas profert, quae antea nullas oſtendebat et ex aliis denique obſeruationibus concludit, non tam natale ſolum diuerſum, ſed ſolummodo vmbram generandis ariſtis in hac ſpecie inſeruire.

Tab. XIV. Phleum pratenſe, *Wieſen-Lieſchgras*. Nodoſum et alpinum LINN. huius modo varietates, ex diuerſo ſolo enatas, eſſe, aſſerit Cl. Auctor. Omnibus his communis ineſt, facile conſpiciendus character; ſcilicet locuſtae ſunt oblongae, ſuperne truncatae, et cornutae lateraliter ſplendentibus pilis ciliatae. Laudauit gramen et vt Americanum, nomine *Timothygras*, Cl. ROQUE vendidit, illudque ex Britannicis plures pro artificialibus pratis parandis multum commendarunt; verum nec ſapidum, nec vtile animalibus per ſe praebet pabulum, oues illud plane negligunt, boues

boues vero, lubentius equi, idem, aliis pabularibus plantis commixtum, deuorare ſolent; hinc ſi illud in pratis cultura multiplicare volumus, nunquam ſolum, ſed in ſocietate aliarum eiusmodi plantarum ſerere debemus.

Tab. XV. Auena fatua, *Wild- oder Wind-Hafer.* Moleſtiſſimam eandem agricolis noſtris eſſe, quotidie experimur; hinc varios Cl. Auctor recenſuit modos, quibus eam imminuere et plane tandem exſtirpare poſſemus. Ariſtas aliquando hygrometra conſtituere, nota res eſt. Et cum auenae huius ariſtae peculiari ratione conſtructae ſint, hinc etiam ab aëre ſicco et humido euidenter mutentur et perfectum eiuſmodi hygrometrum praebeant, etiam de eodem egit Auctor, eiusque praeſtantiam et vſum expoſuit.

Tab. XVI. Panicum ſanguinale, *Bluthirſe.* Eſt quidem agricolis ſaepe moleſtum gramen, attamen hinc inde colitur et ſemen alimenti loco adhibetur; cum feſtuca fluitante ſaepe confunditur et vtriusque ſemen mannae eſculentum, *Schwaden* ſiue *Mannagrütze* appellatur. Inter ſe autem multum differt et panici huius cultura nunc fere euanuit, poſtquam feſtucae praeſtantia magis magisque innotuit. Pro arena mobili figenda commode vſurpari poteſt.

Tab. XVII. Hordeum Zeocrithon, *Bart-Gerſte.* In Anglia et Gallia notiſſima frumenti ſpecies, noſtratibus aeque commendanda; id quod Cl. SCHADII experimenta, hic enarrata, ſatis ſuperque probant.

Tab. XVIII. Holcus halepenſis, *ſchmalblätteriges Honig-Gras.* Planta Syriaca, in curioſorum hortis modo inuenienda. Germanico nomini occaſionem dedit holcus ſaccharatus, qui dulciſſimum continet ſuccum; huic multum ſimilis eſt halepenſis, ideoque has ſpecies notato titulo inſignire voluit Cl. Auctor.

Tab.

Tab. XIX. fig. 1. Alopecurus pratenſis, *Wieſen-Fuchsſchwanz*, gratiſſimum animalibus gramen et in colendis perficiendisque pratis facile princeps; cuius praeſtantiam non ſolum luculenter expoſuit Auctor, ſed et hac occaſione de pratis artificialibus in genere diſſeruit, optimumque modum expoſuit, quo haec poſſint inſtitui, foecundari, conſeruari. Fig. 2. Alopecurus agreſtis, *Acker-Fuchsſchwanz*. Priori in multis ſimilis, huius autem ſpica ſimplex eſt et locuſtae nudae, ſpica prioris compoſita et locuſtae piloſae. Fig. 3. Lagurus ouatus, *kolbiges Sammt-Gras*. Neque indigena eſt, neque ratione vſus cognita planta.

Tab. XX. fig. 1. Holcus lanatus, *wolligtes* et fig. 2. Holcus mollis, *kriechendes Roß-oder Pferdegras*. Vtraque apud nos et in ſiccis et humidis pratis aliisque locis ſponte prouenit; eſt vero poſterior propter repentem radicem et tenacem culmum agricultoribus minus accepta; prioris culmi et folia molliora, ſucculenta, dulcique ſapore praedita ſunt, hinc optimum animalibus, inprimis ouibus exhibent pabulum, ideoque praticultoribus omni modo commendari, vel propterea etiam laudari debebit, quia arenoſa loca firmat, eademque in praeſtantiſſima ouina paſcua commutat.

Ex his, quae breuiter indicauimus, operis praeſtantia facile apparebit, atque hinc omnes, botanici aeque ac rei agrariae cultores, eiuſdem continuationem nobiscum deſiderabunt; conſtantem itaque ſanitatem Cl. Auctori exoptamus, ſperamusque, nec domicilii mutationem, nec noui muneris labores eum a graminum deliciis abducturos eſſe.

IV.

Lucubrationum academicarum ſpecimen primum, de ſyſtematibus mineralogicis et ſyſtemate mineralogico rite condendo a IOANNE GOTTSCH. WALLERIO, Phil. et Medic. Doct. Chem. metall. et pharmac. Prof. reg. Vpſ. acad. Imper. nat. cur. nec non reg. acad. Stockh. et Vpſal. ſocio. Holmiae. Impenſis Direct. Laurent. Saluii. 8. 1768. 10½ pl. tabb. aen. 3.

In duas ſectiones libellum ſuum diuidit Cl. Auctor; in priore ſyſtemata mineralogica recenſet, in poſteriore autem de ſyſtemate mineralogico, rite condendo, agit. Syſtemata commemorans Noſter, inter veteres ante Chriſtum natum duos tantum auctores deprehendit, nimirum ARISTOTELEM et THEOPHRASTUM ERESIUM; poſt haec tempora, ſeculo, poſt Chriſtum natum, primo, 1) DIOSCORIDES; 2) C. PLINIUS SECUNDUS; ſeculo ſecundo CLAUDIUS GALENUS; ſeculo quarto EPIPHANIUS et ſeculo duodecimo AVICENNA ſe commendarunt. p. 5.

Seculo decimo ſexto 1) ALBERTUS MAGNUS; 2) PETRUS ARLENSIS DE SCUDALAPIS; 3) GEORGIUS AGRICOLA; 4) ANDREAS LIBAVIUS; 5) CHRISTOPHORUS ENCELIUS; 6) HIERONYMUS CARDANUS; 7) GABRIEL FALLOPIUS; 8) FRANCISCUS RUEUS; 9) IOAN. KENTMANNUS; 10) VALLERIUS CORDUS; 11) CONRADUS GESNER floruerunt. p. 13.

Seculo decimo ſeptimo 1) ANDREAS CAESALPINUS; 2) FRANC. CALCEOLARIUS; 3) IO GUIDIUS; 4) ULYSSES ALDROVANDUS; 5) CASPARUS SCHWENCKFELT; 6) SIGFRID p. 27.

ARON FORSIUS; 7) ANSELMUS BOETIUS DE BOOT; 8) IOAN. DE LAËT; 9) BERNARDUS CAESIUS; 10) OLAUS WORMIUS; 11) IOAN. IONSTONIUS; 12) IO. IOACHIM BECCHER; 13) IOAN. WEBSTER; 14) FRID. LACHMUND; 15) FERRAND. IMPERATUS; 16) ALBARO ALONSO BARBA; 17) OLAUS BROMELIUS; 18) IOH. IOACH. BOCKENHOFFER; 19) EMANUEL KOENIG; 20) URBAN HIAERNE vixerunt.

p. 59. Seculo demum decimo octauo 1) CHRIST. IOAN. LANGE; 2) IR. FAUST; 3) IO. IAC. BAYER; 4) VALENTIN. KREUTERMANN; 5) G. ANDR. HELLWING; 6) IOH. IAC. SCHEUCHZER; 7) IOH. HENR. SCHÜTTE; 8) JOHN WOODWARD; 9) MAGNUS VON BROMELL; 10) HERMANN BOERHAAVE; 11) FR. CHRIST. LESSER; 12) CAROL. LINNAEUS; 13) IO. FR. HENCKEL; 14) IOH. ERN. HEBENSTREIT; 15) IOH. ANDR. KRAMER; 16) IO. HENR. POTT; 17) Auctor ipse WALLERIUS; 18) IOH. HILL; 19) CHR. GOTTL. LUDWIG; 20) IOH. LAC. WOLTERSDORFF; 21) IO. FR. GRONOV; 22) IOH. FRID. CARTHEUSER iun.; 23) DEZALLIER D'ARGENVILLE; 24) PATRICK BROWNE; 25) IOH. HENR. GOTTL. VON IUSTI; 26) EMAN. MENDEZ DA COSTA; 27) IACOB. THEODOR. KLEIN; 28) ALEX. CRONSTEDT; 29) IOH. GOTTL. LEHMANN; 30) RUDOLPH. AUG. VOGEL; 31) IOH. ERNST. IMM. WALCH; 32) M. VALMONT DE BOMARE; 33) IOH. WILH. BAUMER inter praecipuos

p. 113. mineralogos collocandi sunt. Praeter hos recensitos etiam alios commemorat, qui ad mineralia spectantes libellos et in iis fossilium classificationem exhibuerunt, inter quos nominantur ORPHEUS, Graecus; 2) GUALTER CHARLETON; 3) RICH. BRADLEY;

BRADLEY; 4) BOURGUET; 5) CAV. GIOV. BAILLOU; 6) TH. NICOLS.

Muſea pauciora a Noſtro indicata ſunt, hanc qui- p. 113.
dem ob cauſſam, tum quod in huiusmodi gazophylaciis vix alia reperiuntur deſcripta, quam quae curioſa et exotica fuerunt, oculosque ſpectatoris delectant, rariſſime autem vel nunquam vulgaria, niſi extraordinarium quid in his fuerit obſeruatum; tum quoque quod Auctores pauciores in huiusmodi muſeis receptam aliquam ſecuti ſunt claſſificationem. Ne vero eiusmodi muſea omittantur, a Noſtro viginti octo tanquam praecipua nominantur. Ory- p. 116.
ctographos plurimos praeteriit, vtpote penes quos peculiarem quandam claſſificationem mineralium reperire non potuit. Praecipuos tamen numeroque vnum de viginti indicat.

In ſectione poſteriore Noſter de ſyſtemate mine- p. 119.
ralogico rite condendo, agit et ſyſtema mineralogicum appellat, *quod continet completam recenſionem et deſcriptionem omnium corporum mineralium, rite, ordinate et fideliter factam.* Rite facta dicitur, ſi ſimilia ſimilibus coniunguntur, diſſimilia ſeparantur; ordinate vero facta vocatur, ſi a ſimplicioribus ad magis compoſita, a ſimilibus ad diſſimilia fit progreſſus ſucceſſiuus. Ad fines proximos reſpicienti Noſtro, ſyſtemata mineralia quadruplici potiſſimum fine condi videntur. 1) Vt corporum mineralium ideae animo ingerantur et corpora oblata ab aliis diſtincte cognoſci et agnoſci poſſint; 2) vt animus imbuatur principiis, quibus in ratiociniis de his aliisque corporibus opus habet; 3) vt pateat vſus, quem haec corpora praeſtare poſſunt in vita communi, in rebus medicis etc.; 4) vt per eiuſmodi ſyſtemata abbreuietur via diſcendi et memoria ſubleuetur. Ad hos fines obtinendos requiritur, vt corpora per certas

ac determinatas notas characteriſticas diſtincta cognoſcantur. Itaque tales ſecundum Noſtri ſententiam eligendae ſunt notae characteriſticae, 1) quae omni tempore et loco conſtantes ſunt, cuicunque ſubiecto eiuſdem ſpeciei nunquam non competentes; 2) quae perennes ſunt, hoc eſt, quae nulli mutationi obnoxiae ſunt; 3) quae determinatae ac ſufficientes ſunt ad corpus oblatum, a quocunque alio diſtinguendum. Notis characteriſticis inniti claſſificationem, aſſerit Cl. Auctor; atque hanc quoque methodum appellari, eſſeque corporum naturalium, ex characteribus conſtantibus et ſufficientibus rite factam diſtributionem in claſſes, ordines, genera et ſpecies cum varietatibus ſuis, autumat. Claſſes vocat genera ſuprema, notis vniuerſalioribus diſtincta, quae ideo ſimilitudinem corporum generaliorum, in ordinibus, ſub claſſe comprehenſis, communem indicant. Ordines dicit, eſſe genera intermedia, quae notis minus vniuerſalibus indicant ſimilitudinem corporum, in generibus inferioribus, ſub ordine comprehenſis, obuiam. Genera vocat, quae a ſimilitudine in ſpeciebus, ad ſua genera relatis, obſeruata formantur. Species vero adpellat, quae ſimilitudinem, in indiuiduis obuiam, indicant. Varietates tandem Noſtro ſunt, quae non niſi in accidentali quadam in indiuiduis ſimilitudine vel mutatione locum habent. Ita autem omnem claſſificationem ſeu methodum conſtrui debere, innuit Cl. Auctor, vt, quae non conueniunt in ſpecie, ſingulare genus et, quae non in genere, ſingularem ordinem vel claſſem conſtituant. Notas vero characteriſticas claſſium, ordinum et generum tales eligendas eſſe, praecipit, vt, addita differentia ſpecifica, idea rei clare pateat. Notas characteriſticas ad fines obtinendos ita comparatas eſſe debere autumat, vt ſemper, quacunque occaſione, quocunque loco et tempore ad rem oblatam cognoſcendam ſufficiant. Easdem itaque

que ab extrinſecis proprietatibus et qualitatibus vel externa facie, quantum poſſibile, deſumendas eſſe, aſſerit et eiusmodi notas extrinſecas appellat. Quodſi vero extrinſecae non reperiantur notae conſtantes et ſufficientes, ad alias notas, quae a relatione corporum ad ignem, menſtrua vel ad alia corpora obtineantur, ſimul attendendum eſſe, monet, talesque notas intrinſecas vocat. Ad extrinſecas refert eas, quae deſumuntur, 1) a loco natali et patria; 2) ab vſu; 3) a magnitudine vel paruitate; 4) a nobilitate vel ignobilitate; 5) a qualitatibus ſenſibilibus, nimirum odore, ſapore, colore, nitore, pelluciditate vel opacitate; 6) ab externo adſpectu et ſtructura; 7) a generationis modo ab extrinſeca facie apparente; 8) a figura. Ad intrinſecas notas refert, quae, in ipſa natura corporum fundatae, deſumuntur, 1) a grauitate et leuitate; 2) a duritie vel mollitie; 3) a relatione ad menſtrua aquoſa vel ſalina; 4) ab indole in igne; 5) a materia et modo generationis per experimenta chemica enodandis.

A notarum characteriſticarum diuerſitate, intrinſeca vel extrinſeca diuerſa, vt oſtendit Noſter, promanant ſyſtemata mineralogica. Alii namque claſſificationem ſecundum notas extrinſecas inſtituere volunt, hancque claſſificationem, ab aliis artificialem dictam, Noſter ſuperficialem adpellat. Alii ad interiorem compoſitionem et intrinſecas notas reſpiciendum eſſe contendunt, hancque, naturalem ab iiſdem dictam, Noſter chemicam vocat. Alii denique claſſificationem mixtam exoptant, quam duplici ſenſu ſumi, Cl. Auctor perhibet; aliter nimirum ab iis, qui extrinſecas notas ſimul cum intrinſecis adhibendas eſſe volunt, vel vtrasque in generum ac ordinum characteribus determinandis combinando; vel ea ratione, vt genera ac ordines ab intrinſecis determinentur, ſpecies vero ab extrinſecis criteriis, aliter

vero ab iis ſumi, qui in generibus aut ordinibus determinandis alibi intrinſecis, alibi extrinſecis notis characteriſticis vti volunt: ſed hoc ſenſu mixtam methodum potius confuſam appellandam eſſe, autumat. Naturalem methodum illam adpellat Noſter, in qua congenera corpora et eiuſdem compoſitionis coniunguntur, diuerſae vero mixtionis ſeparantur, ſeu, *in qua ad maximam conuenientiam et ſymmetriam, ſiue intrinſecam ſiue extrinſecam, ſiue vtramque reſpectus habetur.* Hinc cum artificiale, vt oppoſitum naturali, conſiderari debeat, tam ſuperficialem, quam chemicam artificiales eſſe poſſe, neglecta conuenientia nominata, putat. Nullus itaque dubitat, naturalem methodum omnibus aliis praeferre. Cum vero diſputatur, quaenam ex methodis enarratis ad naturalem accedat, ideoque reliquis praeferenda ſit, ſingulos characteres, tam extrinſecos, quam intrinſecos indicatos, examinat. Ad extrinſecas itaque notas primo reſpiciens Noſter oſtendit, a loco natali et patria, cum in ſubiecto obſeruari detegique nequeant, nullas notas characteriſticas deſumi debere, et a notis, quae ab vſu deſumantur, cum iſte maxime mutabilis ſit, ab arbitrio vſurpantis ſaepe pendens, abſtinendum eſſe. Oſtendit deinde, omnem, a quantitate deſumtam notam, inſufficientem et inutilem eſſe, cum v. g. fruſtum iaſpidis vel achati non cognoſci poſſit, multoque minus per experientiam indagari, an a maioris vel minoris molis lapide ſeparatum ſit. Innuit porro, nobilitatem et ignobilitatem, quatenus hae in ſe conſiderentur et fundamentum ſuum vel in raritate aut frequentia, vel in arbitrio nominum, ſaepius mutabili, habeant, vt notam characteriſticam conſiderari non poſſe. A qualitatibus ſenſibilibus e. g. odore, ſapore etc: paucas notas characteriſticas foſſilium ſumi poſſe, ac non niſi ſpecificas, aſſerit. Faciem externam ſeu externum adſpectum

ctum et ſtructuram, a qua multi notas deſumunt, non niſi inſufficientes, difficiles, immo falſas praebere poſſe notas, Noſter autumat, cum mineralium genera, natura diſtincta, confundantur et eiuſdem naturae corpora ab inuicem ſeparentur, non tamen omnino reiiciendas eſſe notas, ab externa facie deſumtas, affirmat, et non tantum adminiculi loco, qua aſſueti mineralogi oblatos lapides, ſine vlteriori examine, ſaepe agnoſcere et dignoſcere poſſint, in memoriam reuocantes, ſe tales prius vidiſſe, ſed etiam ad ſpecies determinandas conducere poſſe, putat. Ab apparente generationis modo diuerſo, cum probabile ſit, vnius eiuſdemque generis corpora diverſo modo produci et hinc diuerſam faciem, in ſpeciebus obuiam, pendere, eo magis incertas notas deſumi putat, quo magis adhuc incerti ſumus de modo generationis lapidum diuerſo. Notas tandem, a figura deſumtas, cum plura corpora diuerſiſſimae naturae eandem obtinere poſſint figuram, a cauſſa quadam peregrina communi, in haec corpora aequaliter agente, pro generibus igitur determinandis inſufficientes eſſe ac deceptrices, ideoque vnice locum habere poſſe in ſpeciebus diſtinguendis, docet.

Progreditur Cl. Auctor ad notas characteriſti- p. 146.
cas, quae per experimenta quaedam ſunt cognoſcenda et elicienda. Primo itaque grauitatem vel leuitatem corporum conſiderat, talique examine theoriam corporum mineralium multum quidem illuſtrari poſſe, claſſificationem vero eorundem corporum ex hoc fundamento vix vllam conſtrui, putat, cum diuerſa ſit in vno eodemque genere, immo in varietatibus vnius eiuſdemque ſpeciei, grauitas ſpecifica, quae pendet vel a particulis metallicis, plus minus immixtis, vel ab arctiori nexu partium, vnde maior quantitas materiae ſub minori volumine compingi-

tur. Differentiam porro inter lapides, a duritie vel mollitie desumtam, praeterquam quod nimis sit generalis, sub vno titulo diuersos compingens lapides, maxime dubiam et ambiguam existere, putat, ab his tamen affectionibus notas characteristicas auxiliares sumi posse, inprimis ad species, ab inuicem separandas, non dubitat. A solubilitate vel insolubilitate lapidum in acido quodam fortiori, inprimis in aqua forti, hincque orta interdum effervescentia notam characteristicam ad distinguenda genera lapidum, naturaliter distincta, desumi non posse, optimum vero adminiculum, quo via simul pandatur ad interiorem lapidum compositionem cognoscendam, obtineri arbitratur. Si naturaliter distincta corpora sint separanda et similia coniungenda, si et mineralia, non ratione structurae, sed ratione mixtionis et compositionis suas exerceant functiones, suas mutationes et destructiones subeant, suos et consequentes praestent vsus tam in metallurgicis, quam oeconomicis, non magis sufficientem constitui posse arbitrum ac iudicem classificationis, quam ignem, Noster ostendit. Quod tandem ad methodum attinet, qua nonnulli, ad materiem, qua componuntur vel generantur lapides, respicientes, vtuntur, in ipsis potius experimentis h. e. in indole lapidum, in igne, menstruis et ad alia corpora relatione, quam in conclusione adhuc ambigua de materia, qua generantur, acquiescendum esse, monet. Ex his igitur patere, dicit Noster, quaenam methodus reliquis praeferenda sit, vtrum superficialis, an chemica, an demum mixta. Cum itaque methodus mixta, quae notis characteristicis, tam extrinsecis, quam intrinsecis, simul combinatis, superstructa est, proxime ad naturalem accedat, maximamque indicet symmetriam, eam ipsam reliquis omnino praeferendam esse, arbitratur.

V.

V.

Index Pharmacopolii completi cum calendario pharmaceutico, Auct. IOH. IUL. WALBAUM, M. D. et Practico Lubecensi P. I. Lipſ. apud Ioh. Frid. Gleditſch. 1767. fol. pl. 23. et P. II. ibid. 1769. fol. Alph. 1. pl. 3.

Cum peruerſa medicamentorum in pharmacopoliis collectio atque praeparatio nonnunquam ex intentione medici praeſcribentis, perperam intellecta, vel improba lucri cupiditate, omnium autem frequentiſſime ex ignorantia proficiſcatur, laudabili inſtituto Cl. Auctor huic, quem vltimo loco nominavimus, errorum pharmaceuticorum fonti obuiam ire voluit. Ipſi itaque viſum eſt, in prima parte indicatis, ſecundum tria naturae regna omnium, quae in pharmacopoliis aſſeruari debent, medicamentorum ſimplicium, nominibus vſitatis, non tantum locos ex iis ſcriptoribus, qui optimas eorum deſcriptiones vel icones dederunt, allegatos, ſed vegetabilibus etiam nomina ſic dicta triuialia ex LINNAEI ſpeciebus plantarum apponere. Characteres etiam, quibus adulteratae merces a genuinis internoſci poſſint, indicauit, nec minus quarundam plantarum deſcriptionem, cum in libris vernaculis nondum inueniatur, ipſe dedit, e. g. monardae, myrti Britannicae, roſmarini ſylueſtris, ſeminis phellandrii, fabae pichurim, fungi Melitenſis etc. In calendario adiecto, plantarum vegetatione ſummatim expoſita, tempus definit, quo partes earum viribus medicatis maxime pollent. Pro ſoli quoque, in quo plantae creſcant, varietate, ipſarum vires maiores minoresve, ideoque ſponte prouenientes, illis, quae in hortis coluntur, nec non montanas paluſtribus plantis praeferendas eſſe, recte monet. Per ſingulos dein-

de menſes, quae plantae floreant, vtpote ex qua re ſingulas earum partes colligendi tempus facile deſiniri poteſt, porro, quae colligi debeant, denique, qui labores a pharmaceutis ſuſcipiendi ſint, oſtendit. Sub finem regulas addit, in colligendis, ſiccandis, aſſeruandisque ſimplicibus, imprimis ex vegetantium claſſe, obſeruandas.

Altera pars ordine alphabetico ſiſtit nomina praeparatorum ſimplicium et compoſitorum. Plerima quidem congeſſit Cl. Auctor, ea tamen, quae vtilitate ſua ſe commendant, ab his, quibus officinae noſtrae commode carere poſſent, literis maiuſculis diſtinxit. Cum vero multa inter haec medicamenta ſint, quorum praeparationes in diſpenſatoriis conſuetis non deprehendantur, eae in ſubiectis notulis additae ſunt. Praeterea duo appendices ſubiuncti ſunt. Alter denominationes medicamentorum germanicas, in tractu Lubecenſi ſolemnes, alter cautiones atque encheireſes pharmaceuticas, ex praeſtantiſſimis ſcriptoribus multo ſtudio depromtas, exhibet, quibus quale pretium ſtatuendum ſit, vt eo melius noſtris Lectoribus conſtet, nonnullas earum, memoratu maxime dignas, exempli loco, indicare nobis liceat.

Medicamenta compoſita, in quibus aduerſus praecepta chemica peccatur, aut quorum ingredientia ſeſe deſtruunt, ex officinis proſcribantur. Circa aquarum deſtillationem videndum eſt, num partes ingredientium actiuae in excipulum deſcendant, nec ne, num volatiles ſint, an fixae, num cito, an tarde a reliquis ſecedant. His enim momentis vaſorum et menſtrui ſelectus, ingredientium praeparatio atque ignis gradus accommodari debet. Ad conſeruas parandas ne plantae adhibeantur nimis mucilaginoſae, aut quarum virtus quaeſita in parte haereat volatili. In conficiendis emplaſtris ſaturnis,

nis, ad cauendum empyreuma, aqua tepida ſubinde affundenda, et ceruſſa lota (*ſchieferweis*) ceruſſae vulgari, (*bleyweis*) creta vtplurimum adulteratae, praeferenda, quo iuſtam acquirant conſiſtentiam. Extracta bonae notae, praeter requiſitam conſiſtentiam, ſaporem odoremque eius rei, ex qua parantur, prae ſe ferre et ab empyreumate libera eſſe debent, ſeduloque videndum, vt, ad ea recte conficienda, conueniens vbique menſtruum, pro cuiusuis ſubſtantiae extrahendae indole, eligatur. Ad faciliorem oleorum empyreumaticorum rectificationem, alias taedioſam et difficilem, opus eſt, vt retorta ſit ſicca et probe mundata, oleum ipſi ope infundibuli praelongi immittatur, ignis primo leuiſſimus, poſtea ſenſim auctus adhibeatur, idque, quod ſub initium et finem operationis prodit, ſeparatim a tenuiſſima puriſſimaque olei parte, mutatis vaſis, excipiatur. Ex ſubſtantiis tenacibus, adſtringentibus, aut aromaticis ſyrupos ne conficias. Pro extrahendis tincturis ſubſtantiae imprimis eligantur forti odore atque ſapore praeditae, hisque accomodentur menſtrua, aromata, aliaque volatilia, vel vbi menſtruum adhibetur volatile, ſine igne extrahenda ſunt. Plura addere, breuitatis ſtudium haud ſinit, id tantum monemus, ſerio optandum eſſe, vt libellus hic, quem Lectoribus noſtris de meliore nota commendamus, non tantum a pharmacopoeis, artis ſuae, vti par eſt, curioſis, quibus imprimis a Cl. Auctore dicatus eſt, ſed etiam a medicis legatur, qui de emendandis tabernis medicamentariis cogitant, eo enim tanquam norma, quam in hoc opere ſequantur, commode vti poterunt.

VI.

VI.

La nature opprimée par la médécine moderne, ou la néceſſité de recourir à la méthode ancienne et hippocratique dans le traitement des maladies. Par Mr. TOUSSAINT GUINDANT. A Paris, chez Debure l'aîné, 1768. 12. pl. 17½.

i. e.

Natura per hodiernam medicinam oppreſſa, ſeu neceſſitas recurrendi ad veterem et hippocraticam morbis medendi rationem, Auctore Cl. TOUSSAINT GUINDANT.

Exhibita notione vocis naturae in medicina, Cl. Auctor primum prolixe de officio medici, eam
p. 8. in curandis morbis ſectandi, exponit, eumque diuerſas morbi periodos caute attendere iubet, noxamque, ex earum neglecta obſeruatione oriundam, declarat et eos iure quidem ſuo reprehendit, qui in multis medicamentis et, illis morbi ſtatui non accommodatis, huius curandi ſpem ponunt. Ad quos eo magis conuincendos ideam corporis ſani eiuſque
p. 26. functionum dat et ex iis niſum naturae, ſanitatem conſeruandi, declarat, medicumque docet, quomodo illam operantem ſuſtentare eique ſuccurrere debeat; quod exemplis, a Cl. Auctore allatis, clare atque perſpicue probatur, quae copioſe enarrantur et quibus ratiociniis ille ad formandas indicationes debellandumque morbum vſus fuerit, indicatur. Poſtea, per
p. 62. partes eundo, docet, abuſum venae ſectionis, ſi ea tamquam remedio vniuerſali vtamur, nec non purgantium, pari ratione conſideratorum et quae inde damna reſultent, vix ſemper reparanda, iterum, ad-
p. 80. ditis aliis ex praxi exemplis, euincit. Tertium poſtea

ea errorem Cl. Auctor impugnat, ſi venae ſectio nimis parce adhibetur, eiuſque emolumenta aliis medicamentis, quaecumque ea demum fuerint, obtineri poſſe putantur: quod itidem exempla addita demonſtrant. His, veluti praeliminari ſermone, praemiſſis, antequam praeſtantiam methodi hippocraticae commendet Cl. Auctor, officia quaedam medico ſumme neceſſaria indicat, quae ex ZACUTO LUSITANO depromſit et quorum ſummam ſi cum Lectoribus noſtris communicauerimus, eorum veniam nos impetraturos confidimus. *Medicus ſit vir probus; non verboſus et loquax; non ſuperbus et arrogans; fateatur errores*, quod HIPPOCRATES et GALENUS, praeſtando magna nobis exempla, reliquerunt; *ſit ſciens et natura prudens;* ſcientia autem ipſi ſufficiens erit ſobriae philoſophiae et phyſicae; *ſit ſtudioſus*, et artem quotidie ſtudiis amplificare tentet, qua in re labores chemicorum et botanicorum laudabile exemplum ad imitationem proponunt; *habeat libros, ſed paucos et optimis vtatur Auctoribus;* a nimia enim et confuſa lectione in quavis ſcientia iam SENECA dehortatus eſt: medico autem HIPPOCRATIS prae reliquis ſtudium commendatum eſto, cuius lectioni ſelectiſſima tantum reliquorum veterum aeque, ac recentiorum iungenda ſunt ſcripta; *paruum morbum non magni, ſic et magnum non parui faciat;* hiſtrionis enim, CELSO iudice, eſt paruam rem attollere, in grauiori autem morbo praeſagium certum et proſperum aegros negligentiores reddit et, ſi morbus in peius fuerit verſus, famae vel adeo conſcientiae medici maculam inurit; *nihil aggrediatur temere et amet conſultationes*, quae vero non niſi coram viris, ſcientiae peritis, inſtituendae ſunt; *auxiliari non differat et caute praeſagiat*, praeſertim hoc in aegris diaetae non adeo obſequentibus; *rationalem profiteatur artem*, vbi oppoſi-

p. 118.
p. 141.
p. 167.
p. 172.
p. 184.
p. 196.
p. 208.

poſitae empiricorum et dogmaticorum ſectae claraе luci exponuntur, huiusque prae illa praeſtantia demonſtratur; *inſpiciat ſubiectum, circa quod verſatur, nobiliſſimum; ſanitatem vt primarium ſcopum attendat; recte teneat, in qua difficili arte verſetur*, neque
p. 235. enim HIPPOCRATI aliisue medicis turpitudini fuit fateri, ſe ad ſummum ſcientiae faſtigium non peruenisſe; *medicus doctus generoſo animo vulgi calumnias contemnat*, vbi vulgatiſſimae contra medicos
p. 259. obiectiones enarrantur et reuelluntur; *medicus a rectitudine*, id eſt a via, quam natura ipſi monſtrat, *non recedat, etſi non* eo ipſo momento *appareat iuuamentum* ſenſibus obuium; non enim tantum cito et iucunde, ſed et tuto curare morbos oportet; *rectis indicationibus nixus, veraque methodo fretus, naturam, recte operantem, imitetur; in arte anatomica ſit apprime inſtructus; in chirurgica arte ſit verſatus; materiae medicae ſit ſtudioſus et callens.*

His omnibus fuſe explicatis et multis iisque
p. 285. egregiis monitis inſperſis, ad ſecundum tractationis ſuae caput Cl. Auctor progreditur, vbi neceſſitatem methodi hippocraticae in tractandis morbis
p. 289. oſtendit. Praemiſſa HIPPOCRATIS laude, duodecim leges, ex ſcriptis eius erutas, recenſet, quae agendi modum in morbis concernunt, poſteaque diaeteticae illius rationem exponit, venae ſectionem vbi ille adhibuerit, indicat, euacuantium ordinem et modum, iis vtendi, declarat, et denique chirurgico-
p. 299. rum auxiliorum, ab eo in vſum vocatorum, et morborum, in quibus iis vſus fuerit, mentionem facit. Praeſtantiam methodi ipſius iam BACO cognouit, multisque eam laudibus extulit et ex recentioribus SYDENHAMIUS, BAGLIVIUS et BOERHAAVIUS ſecuti ſunt et aeque ac SWIETENIUS, eandem viam calcando, medicinae plurimum lucis affuderunt. Et eadem praeſtantia, quae omnes medicos ad imitationem methodi huius excitare debet,

Cl.

Cl. Auctorem ad eam ſectandam compulit, quod, p. 313.
additis duodecim obſeruationibus, probat, quae demonſtrant, morbi indole, obſeruationibus ſtudioſe inſtitutis, detecta, paucis omnino remediis et ſaepe ſola diaeta opus eſſe ad eum, etſi grauiſſimus videatur, feliciter profligandum. Huc et illuc his obſeruationibus varia inſperſa ſunt, quae attentione digna videntur, paucis a nobis commemoranda, v. c. p. 321.
in iis morbis acutis, vbi faucium ſumma eſt ſiccitas, os aqua frigida, ſi in aeſtatem, tepida, ſi in hyemem morbus inciderit, replendum, eaque tam diu retinenda eſt, donec gradus frigoris ipſius imminutus fuerit; imo hoc ipſo remedio in declinante morbo, lingua cruſta viſcida obſeſſa, ter quaterue ſingulo mane repetito, vices purgantium ſupplentur, ſi aluus iam ſatis reſpondeat. Alio loco Cl. Auctor memi- p. 355.
nit, ſe morbos bilioſos, putridos et gangraenoſos, plerumque per diureſin iudicatos, vidiſſe. In febri- p. 367.
bus exanthematicis, niſi malignitatis quaedam ſuſpicio adſit, venae ſectio in robuſtis et plethoricis et vomitorium, niſi quid contraindicet, eruptionem iuuant, quae ſi non adeo promte ſuccedat, diaphoretico leniori v. c. ſcorzonerae decocto, ſin autem impetuoſius, temperantibus iuuatur; a refrigerantibus autem ſummo ſtudio abſtinendum. Purgantibus in fine morbi quam maxime opus eſt. In malignis e contrario ſanguinis miſſio nocet; in principio morbi vomitorio et cathartico medicamento primae viae liberae reddendae ſunt et tunc antiſepticis, vt acidis vegetabilibus et mineralibus dulcificatis, camphoratis, aut, ſumma vrgente neceſſitate, veſicatoriis vtendum eſt, quae tamen caute adhibenda p. 370.
ſunt, vbi a dyſcraſia humorum iſchuria aut dyſuria prouenerit. Finem denique totius operis index vo- p. 375.
cabulorum medicorum, quibus in opere hoc vſus eſt Cl. Auctor, cum ipſorum explicatione facit.

VII.

VII.

Eſſai ſur les effêts ſalutaires du ſéjour des étables dans la phtiſie. Par Mr. READ. A Londres, et ſe trouve à Paris, chez Riviere, 1767. 8. pl. 2.

i. e.

Tentamen ſuper effectibus ſalubribus ex commoratione in ſtabulis in phthiſi. Auctore Cl. READ.

Nouum remediorum genus caſu, vt ſit ſaepe, detectum et aliquoties in eodem morbo applicatum, fauſto ſucceſſu ſe commendans, omnino clariore dilucidatione indigebat, quod praeſenti libello Cl. Auctor praeſtare anniſus eſt. Aerem pro variis, quas continet, exhalationibus, corpori noſtro vel infenſum eſſe, vel proficuum, notiſſima res eſt: inter illas autem tranſpiratio inſenſibilis animantium non poſtremum locum occupat, quae quantum ad ſanitatem conſeruandam et corroborandam conferat, vniuerſa antiquitas loquitur et plurima hodienum exempla confirmant. Quod autem praeſertim eam
p. 11. ſpectat, quae a brutis proficiſcitur, ipſius actionem in corpora noſtra benignam eſſe oportere, ſtructura partium harumque functiones, parum diuerſae a noſtris, et praecipue victus vegetabilis, qui alkaleſcentem indolem praecauet et vaporibus exhalantibus qualitatem magis vnctuoſam et balſamicam tribuit, ſuadent. Quaeritur igitur, an aer, eiusmodi parti-
p. 13. culis foetus, phthiſin ſanare poſſit? hanc Cl. Auctor in genere definit, quod ſit colliquatio partium muſcularium, a defectu aut deprauatione ſuccorum nutrientium deducta, et in atrophiam et phthiſin pulmonalem diuidit: primae ſpeciei annumerat atrophiam

phiam neruoſam, conſumtionis dorſalis duas ſpecies ab HIPPOCRATE deſcriptas, et maraſmum euacuationibus immodicis aut morbis diuturnis ſuccedentem; alteri phthiſin haereditariam, ſcirrhos, vlcera, tubercula et calculoſas concretiones in pulmonibus. Quod ergo alteram quaeſtionis partem ſpe- p. 14.
ctat, percipitur in ſtabulis calor quidam gratus a materia perſpirabili corporis et pulmonum vaccarum, vna cum odore dulci et ſuaui a lacte horum animalium, qui augetur a partibus volatilibus excrementorum, quae ad quoddam tempus impreſſionem ſpirituum animalium retinent. Hae ergo particulae p. 15.
coniunctae inter ſe ſanguini noſtro indolem balſamicam et vnctuoſam humiditatem tribuere poſſunt, a quibus nutritio pendet, ideoque in phthiſi primae ſpeciei omnino conducent, idque eo magis, quo ſimiliores ſunt conſtitutioni corporis aegroti ipſius. Symptomata phthiſicorum reſolutionem humorum teſtantur, quare ad eos condenſandos incraſſantibus vti ſolemus: ſed haec vel ventriculo oneri ſunt, vel expectorationem cohibent, quorum neutrum a praeſenti remedio metuendum erit. Vlcera pulmonum p. 18.
remediis balſamicis aut aliis antiphthiſicorum nomine inſignitis ſanare velle, impoſſibilis plerumque vel ſaltem difficillima res eſt, quare nonnulli iis ſuffimigia ex balſamicis ſubſtituerunt: his autem omnibus p. 22.
exhalationes in ſtabulis, pulmonibus adductae, praeſtant, acrimoniam humorum temperando, gluten ad conſolidanda vlcera ſuppeditando, fibris iuſtam flexilitatem conciliando, calloſitates enatas ſenſim emolliendo et auferendo, tuſſim leniendo et tranſpirationem moderando. Siccus enim aër in genere plus nocet eiuſmodi aegrotis, quam humidus, quod plures iam cognouerunt. Requies etiam, qua ae- p. 27.
gros in ſtabulis detentos frui oportet, multum fuit ad ſanandum morbum. Argumenta, quae Cl. p. 28.

CLERC huic medendi methodo oppoſuit, magni
p. 30. ponderis omnino non videntur eſſe. Regulae, quibus vtendum eſt in hac curatione, eo ſpectant. Tempora conuenientiſſima ſunt auctumnus, hyems et veris principium. Numerus animalium ſtabulo incluſorum a duobus ad ſex aſcendat in eiuſmodi loco, qui duplo eorum continendo alias capax eſſe poſſet. Optime hunc in finem thermometrum adhibetur, cuius calor ſit inter quatuordecim et ſedecim gradus. Animalium etiam ſelectus caute inſtituendus eſt, vt ſana ſint, et ſalubri victu vtantur, cui, ſi fieri poterit, herbae quaedam aromaticae, origanum, menthae ſpecies, ſaluia cet. admiſceantur, acres autem et pecoribus infeſſae plantae euitentur; idem de aquis valet. Antequam in ſtabulum ſe confert aeger, laxante potione, at ea leniſſima, vtatur ex caſſia, manna, ſyrupis, ex ſero lactis. Lectus ad vnius duorumue pedum altitudinem a ſolo collocetur. Pauco victu animali vtendum, eoque tantum ex volatilibus, et ouis, ceterum oryzae cremore, auena excorticata, halica, leguminibus, fructibus horaeis. Potus ordinarius ſit cereuiſia tenuis, cui imminuta febre ſubſtituatur vinum, aqua remixtum. Ab aromaticis, potu ſpirituoſo, concentrato potiſſimum, et coffea abſtinendum. Tempus certum praeſcribi nequit, ſed imminutio ſymptomatum de eo decidat. Lactis vſus vt in omni phthiſi ſuſpectus eſt: ſi vero illud tentare velimus, lac feminae robuſtae conuenientiſſimum videtur. Iuuabunt effectum huius remedii infuſa plantarum vulnerariarum aromaticarum, antiſcorbuticarum et Peruuiani corticis moderatus vſus.

VIII.

VIII.

IOANNIS OOSTERDYK SCHACHT A. L. M. Phil. et Med. D et Profeſſor Ord. inſtitutiones medicinae practicae ad auditorum potiſſimum vſus in epitomen redactae et euulgatae. Editio Traiectina altera priori auctior. Accedit oratio: de arcanis medicorum non celandis. Traiect. ad Rhenum apud Abrah. a Paddenburg, Roeland de Meyere et Io. Schoonhouen. 1767. 4. Alph. 1. pl. 15.

Non adeo multum differre hanc elegantis et eximii libri, quem interdum ampliorem Lectores optabunt et nos quoque in votis habuimus, editionem a priori, quae prodiit ibidem 1747, inter legendum atque conferendum animaduertimus. Ordo enim rerum plane non mutatus eſt a Cl. Auctore; addita autem ſunt non raro pauca, quae partim illuſtrationi et explicationi eorum, quae iam dicta ſunt inſeruiunt, partim nouitatem diuiſionum pariter ac definitionum produnt. Finem porro prioris editionis impoſuerunt duae orationes, quarum loco in hac, quae iam a nobis cum Lectoribus communicabitur, editione, aliam, de arcanis medicorum non celandis, legimus. Quamquam vero omnia, hic propoſita, ſummam merentur attentionem et ſingulare breuitatis et perſpicuitatis monſtrant ſtudium, tamen in quibuſdam tantum ſeligendis acquieſcendum nobis eſt.

In prolegomenis proponit Noſter ordinem, ſe- p. 1.
cundum quem morbi, ab ipſo deſcripti, conſiderantur et hic ab vniuerſalibus ad particulares progreditur. Vniuerſales ſunt vel ex ſua indole febriles, vel non neceſſario febriles, particulares vero pro partis,

quae patitur, differunt diuerſitate, quibus ſimul ab Auctore ſexus aetatisque morbi adnumerantur. Morbus eſt illa humani corporis conditio, qua fit, vt actiones ab homine exerceri ſolitae, rite exerceri nequeant. Sunt quidem morbi ſolidarum aeque, ac fluidarum partium, raro autem ſimplices, crebrius ex vtroque compoſiti. Inter alia in ſolidis reſpicit ſedulo ad irritabilitatem nimiam vel non ſatis magnam, atque ſenſibilitatem deprauatam; ac in fluidis attendit ad deprauatam cohaeſionem et miſcelam partium conſtituentium, in vtroque ad aequilibrium et proportionem, inter ſolidas et fluidas ſublatam.

p. 4. Febrim primum inter vniuerſales morbos Noſter conſiderat, quam ita definit, vt ſit ea conditio, qua pulſus intra datum temporis ſpatium frequentior fit ſimul cum quarumdam functionum laeſione. Quamquam enim in omni omnino febre pulſus naturali fit frequentior, eius tamen natura in aucta circulatione non cernitur, quum bina haec pari paſſu non ſemper incedant, ac ſaepenumero, febre praeſente, circulatio non ſit aucta, et ipſa haec aucta circulatio effectus potius, quam cauſſa vel natura febris appellari debere videatur. Proxima febris cauſſa eſt proxima auctae in pulſu frequentiae cauſſa. Haec vero vnice eſt frequentior, intra datum temporis ſpatium, influxus ſpirituum et ſanguinis vel altervtrius liquidi in neruos eorumque origines, vaſa et cauitates cordis, varias per cauſſas internas aeque, ac externas, excitatus. Inde ſatis apte febris dici poſſet cordis morbus.

p. 6. Cauſſis, febrim efficientibus, e. gr. inflammatoria, putrida, bilioſa, atrabiliaria, pituitoſa, neruoſa, meſenterica, catharralis, purulenta, verminoſa etc., conſideratis, ad eorum effectus Noſter progreditur. Inter quos alii ſemper febrim comitantur, alii in quibusdam

busdam modo febrium ſpeciebus deprehenduntur. Prioris generis ſunt horror, calor, ſiccus primum, dein plerumque humidus; poſterioris dolor ὀσφυόπος, nauſea, vomitus, ſitis, ructus, flatus, exanthemata, ſudor, vigiliae, ſopor, delirium, anxietas, convulſio, mittimus alia.

Quod febrium diuiſionem ſpectat, varia enarrat p. 7.
Noſter diuidendi fundamenta. Solent nimirum diſtribui a tempore durationis in acutas et chronicas ſiue lentas; ab origine in communes vel epidemicas, et ſingulares ſeu ſporadicas; ratione cauſſarum, quas ſupra nominauimus; reſpectu temporis, quo detinent, in continuas et intermittentes. Continua febris eſt vel continens σύνοχος vel continua remittens ſeu continuata σύνεχης. Continens triplex eſt: ephemera, ſynochus non putris ſeu ephemera plurium dierum et ſynochus putris. Inflammatoria quartam forte conſtituit ſynochi ſpeciem. Synochi putridae nonnullis ſpeciebus examinatis, continuam remittentem diſpeſcit Noſter in erraticam et periodicam. Periodica eſt vel continua quotidiana vel tertiana vel quartana. Intermittentium alia ſpecies die ſeu tertio, quarto, quinto etc. redit indeque ex numero dierum nomina habet. Diuiduntur porro in ſimplices et compoſitas et quaerit Noſter: an continuae remittentes ſint intermittentes compoſitae? Aliae tandem intermittentium ſpecies in veris ſiue legitimis, aliae in ſpuriis, anomalis, nothis cernuntur. Sunt porro et multa nomina febribus, ab earum ſymptomatibus, quarum diuerſitas ſat magna eſt, proficiſcentia, quae, ſi cauſſas, quarum ſupra mentionem fecimus, ſpectemus, non ſingulare nomen merentur, ſed facile cauſſis poſſunt adnumerari. Febrim topicam dari poſſe affirmat Cl. Auctor ex vario in varia parte calore et pulſu, inflammatione partis ſine febre generali, ex effectu irritantium

aliisque. Omnis febris autem vel in ſanitatem, vel in mortem vel in morbum alium ſeſe terminat, id criſis in arte appellatur. Quarum ſanandarum tres habet Noſter indicationes, ac prima quidem: tollere vel infringere cauſſas febris remotas, altera mutare illam conditionem, quam remota cauſſa generavit et a qua febris proxime pendet, et tertia tollere iſta effecta, quae febrim ſequuntur, ſeu mitigare ſymptomata. Omnibus tribus indicationibus ſatisfaciendum, medicamenta caute eligenda indeque ſummum medici opus eſſe iudicium Noſter affirmat.

p. 48. Haec ſufficiant in genere de febrilibus morbis, iam ad morbos vniuerſales non neceſſario febriles tranſeamus. Scorbuto, arthritide et podagra, doloreque iſchiadico examinatis, ad rheumatiſmum venit, quem diuidit in ſcorbuticum et inflammatorium. In ſcorbutico vel nulla, vel leuior eſt febris et partes neque adeo dolent, neque nimis ſunt tumidae. Foeminis ſenibusque potius communis, quam viris et iunioribus, nec minus iis, qui cortice Peruuiano largiter vſi ſunt, maxime autem ſcorbuti labe inquinatis. Inflammatorium autem horror, rigor, calor et reliqua acutioris febris ſymptomata comitantur, inde iis ſanguis emittitur, cruſta phlogiſtica obductus. Porro rhachitidem infantes raro a natiuitate, ſed inter ſextum aetatis et quartum ac vigeſimum menſem plerumque inuadere, propter inſignem autem illius varietatem non definire poſſe, ideoque ad phaenomena varia pro diuerſa partium ſede, vt in capite, thorace, abdomine, artubusque animaduertenda eſſe, autumat.

p. 64. Inter particulares primo conſiderantur morbi capitis, quibus adnumerat ſpaſmum et conuulſionem. Inuita, violenta et morboſa muſculi, partem quandam mouentis, contractio, dicitur conuulſio, et quidem, ſi indeſinens illa fuerit, ſpaſmus, ſin alterna, motus conuulſiuus appellatur. Porro epilepſiam,

quam

quam principem morborum conuulſiuorum iudicat Cl. Auctor, ita definit, vt ſit motus conuulſiuus plerorumque corporis muſculorum cum ſubito hominis in terram prolapſu, ſenſibusque tam internis, quam externis vel pro tempore plane ſublatis, vel plurimum ſaltem imminutis. Curatio eius triplex eſt: alia imminentem auertere, alia praeſentem tollere, alia nouum inſultum praecauere. Caeterum radices valerianae ſylueſtris et paeoniae inter efficaciora refert Cl. Auctor antepileptica. Affectuum ſoporoſorum quatuor conſtituit ſpecies, nempe carum, coma, lethargum et apoplexiam, quae quidem inter ſe tum intenſitate cauſſae, gradu et varietate ſymptomatum; tum etiam indole et genio cauſſae efficientis differunt.

Dum Cl. Auctor oculorum morbos pertractat, p. 102.
inquirit in amauroſin ſeu guttam ſerenam, ophthalmiam, hypopium, mydriaſin ſeu nimiam pupillae anguſtiam, epiphoram. Hypopium diuidit in duas ſpecies. Vbi enim pus inter lamellas, ex quibus tunica cornea conflatur, continetur, id hypopion primi generis appellat, vel commiſtum cum humore aqueo ſub cornea haeret, id hypopion ſecundi generis nominat. Inter alia huius morbi remedia ſuadet corneae pertuſionem et quaerit: an adſtringentia tuto adhiberi queant? Ad mydriaſin curandam iuuat inprimis viuidiſſimi luminis frequens in oculum ingreſſus. Cauſſae epiphorae ſeu oculi lacrymoſi latent vel in ſanguine vel in ipſo humore lacrymoſo, vel in organo, humorem ſecernente, vel in partibus vicinis e. gr. palpebris male formatis, nec ſatis bene ſe contrahentibus, vel caruncula lacrymali deficiente vel inflammata e. ſ. p.

Progreditur Cl. Auctor ad morbos aurium, vbi p. 112.
de ſurditate et graui auditu, de acuto auditu, de ſonitu, tinnitu et bombo aurium et de otalgia ſeu do-

lore aurium agit. Surditatis et grauis auditus cauſſae cernuntur aliae in organo auditorio, aliae in medio, quod ſoni vehiculum eſt, aliae tandem in communi ſenſorio, hoc eſt, in aure, aere et cerebro. Grauior vero auditus, cuius cauſſa in aere eſt ſita, proprie huc non ſpectat, quum tum ſaepe nullus in corpore morbus ſit, vel non eſſe poſſit. Singularum partium, aurem conſtituentium, morbis examinatis, problemata varia Cl. Auctor propoſuit, quarum nonnullorum modo iniiciamus mentionem, e. gr. cur, qui a natiuitate ſurdi etiam muti ſunt? An in electriſatione et ptyaliſmo auxilium et quando?

p. 130. De angina, morbo faucium Noſter monet, eſſe eam ita definiendam, vt ſit morbus, in quo actio faucium impeditur a cauſſa, quae in iis vel prope easdem haeret. Differunt enim anginae inſigniter et a Noſtro in inflammatoriam ſeu veram, aquoſam ſeu oedematoſam ſeu catharroſam ſeu mucoſam, ſuppuratoriam, gangraenoſam, ſchirroſam, cancroſam, vlceroſam, conuulſiuam, paralyticam diuiduntur. Quin et carnoſa, polypoſa, fungoſa, calculoſaque fingi poſſent.

p. 147. Inter morbos pectoris liceat aſthma commemorare. Quod quidem malum ſi leuius, dyſpnoea: ſi grauiſſimum, orthopnoea dicitur, deſinens interdum in apnoeam vel catarrhum ſuffocatiuum. Porro peripneumoniam a vaſorum bronchialium et pulmonalium inflammatorum diuerſitate in bronchialem et pulmonalem diſpeſcit; et, cum non tantum ſanguinea, ſed et ſeroſa lymphaticaque pulmonum ſint vaſcula eaque ſimili modo inflammari queant, forte oriri poſſe, Noſter arbitratur, illum morbum, qui eryſipelas pulmonum dicitur. In medendo huic morbo, reſoluentes vapores, ore excepti egregie conducunt. Phthiſis pulmonalis eſt contabeſcentia totius corporis ab vlcere pulmonis. In confirmata

phthiſi

phthiſi ſuadet Cl. Auctor ad mitiganda ſymptomata opiata. Ad morbos cordis progrediens, ſyncopen vocat ſubitum et vix praeuiſum virium prolapſum, cum torpore, immobilitate et paralytica omnium tam vitalium, quam naturalium atque animalium muſculorum flacciditate, qui pro gradus vehementia, lipothymia, λειποψυχία, σύγκοπη, ἀσφυξία appellatur et potiſſimum in imminuta cordis cernitur contractione. Si cor, auriculae, ſinus, in maiorem molem ita dilatantur, vt naturalem magnitudinem multum excedant, malum hoc cordis, auricularum, ſinuum, aneuryſma adpellatur. Per arteriarum et venarum maiorum aneuryſmata intelligit Cl. Auctor vel earumdem in aliqua ſui parte in ſaccum quendam ampliorem expanſionem: vel et cauitatem earum, inſignem in modum auctam. Malum hoc, quamquam diutiſſime interdum fertur, praeſertim ſi tumoris parietes oſſeam, quod interdum fit, aut cartilagineam duritiem acquiſiuerunt, tamen ſemper celerrimam minatur mortem; nonnunquam autem moriuntur ex ſputo ſanguinis. Mercurialia ſaepe aneuryſmata efficiunt, ideoque iis, qui lue venerea et aneuryſmatibus ſimul laborant, vſum mercurii plane interdicit. Inter varias, quas addidit, quaeſtiones, et hae ſunt: an pulſus durus et plenus in omni aneuryſmate adſit? an pulſatio venarum iugularium continua, etiam dum aeger decumbit et nullo thoracis motu agitatur; tum et anxietas cum cordis palpitatione, pondere, pulſatione indicium eſt aneuryſmatis in dextro ſinu, auricula vel ventriculo haerentis? Tum paraphrenitidem diſquirit, nec vllam, ſi, inſtituta paracentheſi, pus non peſſimae indolis educitur, vidit Noſter rationem, cur de mundando et ſanando diaphragmatis vlcere plane deſperet. Inter morbos oeſophagi et illum conſiderat, qui a corpore peregrino, in eo infixo, ori-

tur, quod deprimi vel educi, debet. An et hic oeſophagotomiae locus? Empyematis operationem vel in alterutro latere, ſi alterutrum pus impleuerit, vel in vtroque, ſi vtrumque, eſſe inſtituendam monet Cl. Auctor, ſed parum ſpei in poſteriori caſu ſupereſſe ei videtur. Quod ſi vero pus inter mediaſtini lamellas haeret, vnum, ſed anceps, in terebrando ſternо, cernitur auxilium. Hydropis pectoris ſigna non abſolute certa quod attinet, haec a Noſtro recenſentur; nulla antegreſſa inflammatio, erecta et difficilis reſpiratio: ponderis ad diaphragma ſenſus, tuſſicula, decubitus vt in empyemate; pedum manuumque oedematoſus tumor cito apparens, ſcroti tumor et ad eius augmentum vel decrementum, ſymptomatum decrementum vel incrementum, non longa in lecto mora, ſubita expergefactio cum ſuffocationis periculo, fluctuationis ſenſus, vrina primum alba copioſa, dein parcior et ſaturatior, pulſus inaequalis. An et praeuia intra praecordia ebullitione ſpumoſae et liquidae materiei ex ore excretio? In methodo medendi declaranda inter alia et ſetacea, per ſcrotum tranſmiſſa, nec non thoracis paracentheſin proponit.

p. 189. Iam tranſit Cl. Auctor ad morbos viſcerum abdominalium et hepatitidem in arterioſam et venoſam, porro ratione iecinoris ſuperficierum in eam, quae conuexam et eam, quae concauam illius occupat ſuperficiem, diſtinguit. Icteri cauſſas indagans, grauiditatem refert inter eas, et inter medicamenta ſuccum graminis, radicem pareirae brauae, acmellae, oleum carabes et terebinthinam laudat, nec plane ab externis reſoluentibus, incidentibus attenuantibusque vnguentis, linimentis, emplaſtris abſtinendum eſſe hortatur. Inter remedia, hydropicis adhibenda, numerat Noſter ſoldanellam, rhamnum catharticum, lapidem lazuli. Ad laeſam digeſtionem corri-

corrigendam iuuant diaeta ſicca, frictio et mechanicus corporis motus. Vomitus diſtinguitur in idiopathicum et ſympathicum, tum et ſymptomaticum et criticum, denique a materie excreta in bilioſum, pituitoſum, atrabiliarium, cruentum. Porro quaerit: an iuſculum pulli cum trochiſcis Remich Meſuae lienteriae eſt ſpecificum? In affectione coeliaca ſeu fluore chyloſo, quae diarrhoeae ſpecies Cl. Auctori eſſe videtur, vbi chylus et feces ſimul excernuntur, purgantia caute ſunt exhibenda, ſed roborantia cum frictionibus, quae incredibilis vtilitatis plane hic eſſe a Noſtro dicuntur, propinanda. Diarrhoeae autem cauſſas quatuor recenſet, quarum prima in liquido, ad inſteſtina copioſius delato, altera in eo, quod ex acrimonia inteſtina irritat, tertia in eo, quod fibris inteſtinalibus nimiam conciliat laxitatem, et quarta in vaſis meſentericis ſeu lacteis ſiue venoſis, vel et glandularum cauis aut obſtruendis aut comprimendis cernitur. Quamquam in qualibet corporis humani cauitate aliquando infecta verminoſa reperta ſunt, nullibi tamen frequentius, quam in inteſtinorum tractu, quorum quatuor potiſſimum ſpecies in iis nidulantur, teretes, qui conueniunt cum lumbricis terreſtribus, cucurbitini, lati et aſcarides. Inter medicamenta anthelmintica venereorum et ſuppoſitoriorum mercurialium, quae forte ad aſcarides invitandos valent, mentio eſt facta.

In morbis partium, generationi inſeruientium, p. 256.
gonorrhoeam ſimplicem, dein virulentam pertractat. Gonorrhoeam ſimplicem nominat eam, vbi verum exit ſemen, reliquae ſpecies, vbi liquores, a ſemine diuerſi, emittuntur, immerito ad gonorrhoeam referuntur. Cuius curatio cernitur in cacochymia ſeroſa corrigenda et ſolidis roborantibus tam externis, quam internis medicamentis. Gonorrhoea virulenta autem, quae luis venereae prodromus

eſt,

eſt, tantam habere Noſtro videtur cum lue ipſa affinitatem, vt alterius ſine altera indoles et cura vix recte intelligi queat. Quam ob cauſſam coniunxit vtrumque. Ac primum quidem originem huius mali dum ſpectat, vix certo poſſe cauſſa, quae primum hoc excitauit fouitque miaſma, explorari, forte vagam venerem et cum menſtruantibus coitum, cum nemo ſine contagio illo morbo decumbat, primam dediſſe occaſionem arbitratur. Veneream luem diſtinguit Cl. Auctor in haereditariam et adventitiam. Aduentitia olim, dum ferociſſime ſaeviebat hoc malum, innumeris et leuiſſimis etiam de cauſſis excitabatur, hodie inprimis congreſſu venereo et lactatione, quamquam contrectationi partium genitalium et baſiis aliquid tribui poteſt. Id autem conſtanti propemodum lege hodie obſeruatur, vt, vbi virus venereum primum eſt applicatum, ibi quoque primum eius effectus exſerat. Quale venenum ſit venereum et qualem in corpore humano, hoc eſt, vtrum in aquoſis lymphaticis, an ſeroſis, vtrum in contextu cellulofo, an in ſanguine, ſedem occupet, dictu eſt difficile. Quod ad medendi methodum attinet, nihil reliquorum medicamentorum ſine mercurio ad malum venereum eradicandum valere, conſentiente Cl. ASTRUC, perhibet.

p. 266. Inter morbos ſequioris ſexus attendit primum Cl. Auctor morbos virginum. Si nimirum in puellis debitum illud lunare non praeſtatur, retentio ſeu ſuppreſſio menſtruorum ſeu amenorrhoea illud malum nuncupatur, cuius cauſſa vel in humoribus vterinis, vel in vaſis, vel in vtroque eſt quaerenda. Varietatem cauſſae oportet ſpectare in remediis eligendis, ad quae et venaeſectio pertinet, quam, in brachio potius, quam in pede inſtituendam eſſe ſuadet. Nimii menſium fluxus autem magna adhibenda eſt cautio, ne omnis liberalioris ſanguinis e genitalibus

eua-

euacuatio, etiam in non grauidis, pro nimio menſium fluxu habeatur. Saepenumero enim a topico quodam vteri et vaginae vitio oritur. Morbos porro grauidarum in tres diſpeſcit Cl. Auctor claſſes, atque prima continet eos, qui a plethora oriuntur. Fetum, recens formatum, enim omnem illum cruorem, qui quolibet menſe alias expellitur et iam ad illius formationem adhibetur, vix abſorberi, ideoque facile plethoram exoriri poſſe putat, quae variis morbis, a grauiditate proficiſcentibus, ſuppeditat occaſionem. Sed, quum grauida adnexum ſuo corpori fetum ita habeat, vt mutua quaedam vaſorum inoſculatio dari nonnullis cenſeatur: hinc mire mutatam et a naturali ſtatu deturbatam habebit circulationem, vnde motus hyſterici et ſingularia eorundem effecta orientur, quae ergo ſecundam eorum complectuntur claſſem. Tertiam autem conſtituit inſolita fetus, aquae, ſecundinarum moles et inde nimia incredibilisque vteri dilatatio, ad quam referuntur ii morbi, qui a mutato grauitatis in praegnantibus centro pendent.

Tum Cl. Auctor tranſit ad morbos parturien- p. 275.
tium. Simulac grauidae parturientes per conditionem quandam praeternaturalem vel ſolito tardius vel maiori cum molimine fetum emittunt, partus laborioſus vel difficilis dicitur. Cuius cauſſae diuerſiſſimae, aliae in matre parturiente, aliae in fetu, per partum excludendo, conſpiciuntur. Quod ſi matri haec difficultas eſt tribuenda, vel inſtrumenta, quibus natura ad fetum excludendum vtitur, deſunt, vel in viis, e quibus expelli et per quas transmitti debet, haeret. Inſtrumenta illa ſunt conamina vel dolores ad partum, qui ſi ſpurii ſunt, vel plane deſunt, vel magnopere debiles ſunt, excludi fetus non, niſi difficillime, poterit. Caeſarea ſectio ſola medetur fetui extravterino, quam omnino ibi, vbi

neque

neque per naturam, neque per artem educi poteſt fetus, viua etiam matre, inſtituere oportet et licet.

p. 278. Morbi puerperarum, praeter haemorrhagiam vteri, lochiorumque retentionem ſiue nimium fluxum aliosque, ſunt tormina poſt partum, quae vel ab alio fetu, vel a ſecundinis retentis, vel a ſanguine congrumato et mola, vtero inhaerente, vel a dolore tolerato violentaque partium tenſione, vel tandem a partium inflammatione, quae raro ſola tormina, ſed plerumque alium morbum producit, excitantur. Tormina, a ſanguine congrumato vel mola proficiſcentia, ſedari nec debent, nec poſſunt, niſi iisdem expulſis: ad quod ſi natura non ſufficit, embryulci manus, iniectu tepidae adiuta, concurrere debet. An per vſum remediorum illico a partu adſumtorum grumi ſanguinis praecaueri poſſunt? Non raro autem morbi puerperarum oriuntur ex lochiis, quae vel nimia, vel nimis parca, aut nulla fluunt quantitate. Nimii lochiorum fluxus cauſſae ſunt quaerendae, vel in vteri vaſis, vel in eiuſdem cauo, vel in liquido, per vaſa vterina manante. Imminutus fluxus lochiorum oritur vel ex vaſorum vterinorum ſpaſmo, vel obſtructione, vel aucta reſiſtentia et rigiditate, vel materiei verſus alia loca determinatione, vel morbi vteri topico, vel et alio, quocunque in loco, excitato. De metaſtaſi lactea, veteribus forte ignorata, recentiores, PUZOS, LEVRET, VAN SWIETEN, conſulendos eſſe, Noſter hortatur.

p. 182. Morbi vetularum plerumque a plethora proficiſcuntur. Simulac enim ex mechaniſmo naturae ille menſtruus ſanguinis fluxus primum imminuitur, dein penitus ſupprimitur in feminis, illae multis morbis exponuntur, qui a nimia collectione ſanguinis pendent et morbi vetularum a Noſtro nuncupantur. Nimirum haemorrhagiae vteri aliarumque par-

partium, inflammationes, vlcera, ſcirrhi vteri, mammárum, eorumdem in cancros conuerſiones, aliaque mala. Quum vero non in omnibus generetur plethora aeque magna, hinc quoque in omnibus non eiusdem effectus. Iis vero, qui patiuntur, venaeſectionem ſuadet.

Etſi admodum varii, diuerſiſſimisque praeditip. 283.
ſymptomatibus, morbi infantibus ſunt communes, omnes tamen tam acuti, quam chronici ex his cauſſis: ex pituita nimirum, retentis fecibus, acido, dentitione difficili et vermibus, poſſunt declarari. Opiata non, niſi ſumma ſymptomatum vrgente vehementia, concedit Cl. Auctor. Nec minus in difficili dentitione, ab erupturi dentis irritatione et inflammatione in gingiuis orta, aluo aperta, ſuadet refrigerantia, lenientia, mucilaginoſa, ad gingivas applicata, hirudines pone aures, phlebotome, adtritus ad duriora corpora prudensque gingiuarum diſſectio: nec inutilis aduerſus ſpaſmos omnino ſpiritus cornu cerui, parciori doſi exhibitus. In efflorescentiis cutis, potius criticis apud infantes, quam morboſis, ſollicitiſſime vitanda ſunt externa exſiccantia.

Finem huius libri facit oratio, in qua, arcana non eſſe celanda, oſtendit Cl. Auctor, quoniam id, cunctis officiis, quae et Deo et hominibus debemus, plane contrariatur. Non enim fama, laus, gloria, pecunia, aliaque commoda praeferenda ſunt omnium ſaluti.

IX.

IX.

Philoſophical Tranſactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LVII. Part. I. II. for the Year 1767. London, printed for L. Davis and C. Reymers. 1768. 4. Alph. 3. plag. 2. tab. aen. 27.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum ab eruditis in variis orbis terrarum partibus noviſſime ſuſceptorum quandam exhibent notitiam. Vol. LVII. Pars I. et II. ad annum 1767.

Pars I. p. 1. 1. *Relatio de foetu humano monſtroſo, cui deerat caput, cor, pulmones, ventriculus, lien, pancreas, hepar et renes, a Cl.* CLAUD. NICOL. LE CAT, *ex gallico idiomate tranſlata a Cl.* MICH. UNDERWOOD. Foemina peperit gemellas, primam mortuam, alteram monſtroſam, partibus inferioribus vſque ad vmbilicum bene formatis, praeter pedem ſiniſtrum, quatuor digitis inſtructum, ſuperioribus vero ſuper vmbilicum ex mera maſſa difformi compoſitis, quae in adiecta tabula aenea ab anteriore et poſteriore parte delineatur. In eius ſectione detexit Cl. Auctor octo coſtas inferiores dextras et ſeptem ſiniſtras, ſuper quas inueniebatur hydatis, in qua latebant nerui ceruicales ac rudimenta ſcapulae et clauiculae; in latere vero dextro eminebat e cute pollex dextrae manus. Aderant quoque veſtigia maxillae inferioris, laryngis et vnius oculi et cerebri vel potius cerebelli portio pollicem quadratum

circiter

circiter aequans, nec non medulla ſpinalis. Thoracem replebat, loco cordis et pulmonum, ſubſtantia parenchymatoſa et oedematoſa; in abdomine haerebant inteſtina, quibus deerat ventriculus, duodenum et ieiunum; loco hepatis conſpiciebatur viſcus rubrum, quod ren vel glandula ſuprarenalis eſſe videbatur; anus non perforatus erat. Inteſtina excrementa griſei coloris, nullum vero meconium continebant. Diſquiſiuit deinde Auctor Cl. organa circulationis huius monſtri, eaque, icone adiecta, illuſtrauit, ex qua patet, venam vmbilicalem in aortam continuatam fuiſſe, quae in ſuperiorem inferioremque ramum mox diuidebatur. Trunci venae cauae origo eiusque cum aortae vel eius ramis anaſtomoſis, diſſectione non commode detegi potuit. Interim vel ex iis, quae vidit Cl. Auctor, probari poſſe autumat, veram omnino circulationem ſanguinis inter fetum et matrem locum habere, fetumque non alimento, ore ſumto, nutriri. Caetera, quae ex parua copia cerebri Cl. LE CAT concludit, cum hypotheſes tantum ſint, omittimus.

2) *Litterae ad Cl.* WATSON, *quae continent deſcriptionem trium ſimplicium medicamentorum, quorum mentionem fecerunt medici Arabes in libello, transmiſſo ex Aleppo et translato ex lingua arabica a Cl.* I. CHANNING. Haec tria medicamenta hic deſcripta ſunt 1) *Tabaſhir*, ſiue ſpecies arundinis Indicae; 2) *Mamitha*, ſiue ſpecies glaucii DIOSCORIDIS, qua vtuntur incolae in morbis oculorum; 3) *Mameraan*, ſiue ſpecies chelidonii. p. 21.

3) *Generalis conſideratio curuae, ortae in plano, quod vmbrae, a ſphaeroide depreſſa proiectae, axin ad angulos rectos ſecat, in litteris, ad Societatem Regiam datis, a Cl.* GEORGE WITCHELL. p. 28.

p. 44. 4) *Tentamen de cauſſis diluuii vniuerſalis, a Cl.* EDWARD KING. Credit Cl. Auctor, initio orbis terrarum adfuiſſe aequalem relationem maris ac terrae, vti et nunc ſit, atque tum ſenſim obtectum fuiſſe fundum maris variis conchis heterogeneisque corporibus, ac ſimul, ineunte creatione, progignitos fuiſſe ignes ſubterraneos, in viſceribus terrae latentes, eosque, tempore deſtinato, maxima ac ſubitanea vi ſub mare prorupuiſſe, fundum oceani eleuaſſe, terram continentem vndis obtexiſſe, eamque in mare mutaſſe, et ipſum fundum maris poſt diluuium in terram continentem atque ſiccam mutatum, in eoque ſtatu permanſum eſſe.

p. 58. 5) *Tentamen explicationis generationis ſpatorum et cryſtallorum.* Auctore EODEM. Cryſtallos cuiuscunque generis, quae in cauernis montium vel lapidum reperiuntur, oriri putat ex particulis quarzoſis vel ſimilibus, in montis vel lapidis ſubſtantia delitescentibus, ab aqua, montem vel lapidem penetrante, ſolutis et ad cauitatem delatis, in qua, ſalium ad inſtar, cryſtalliſantur. Augentur magnitudine, ſi plures accedunt partes, quando ſuperficies priorum cryſtallorum adhuc mollis eſt. Quo maiores poros aqua penetrat, eo impuriores ſunt cryſtalli. Salinae indolis partes eſſe, ex quibus cryſtalli conflantur, Auctor Cl. putat, optatque, vt accuratiora examina chemica cum his et ſimilibus corporibus inſtituantur.

p. 65. 6) *Experimenta cum camphora inſtituta a Cl.* ALEXANDER, *Chirurgo Edinburgenſi.* Vt diſquireret Cl. Auctor, vtrum camphora, interne ſumta, calefaceret, an refrigeraret corpus, ſumſit eius ſcrupulum vnum in pulpa tamarindorum. Poſt viginti vero minutas calor ſcrobiculi cordis, a quo antea mercurius

in

in thermometro Fahrenheitiano, per quinque minutas applicato, ad 18 gradus adſcenderat, minime auctus eſt, ſed, cum antea in vna minuta 68 ictus arteriae numeraſſet, nunc tantum 66 percipiebat et poſt tres quartas horae partes tantum 65, ſub eodem gradu caloris corporis. Altero die, cum thermometrum 19 gradus caloris indicabat et, arteria in vna minuta ſeptuageſies ſepties pulſabat, ſumſit Cl. Auctor ſcrupulos duos camphorae in ſyrupo roſarum, ac ſtatim ſenſit ſaporem acrem ingratum; poſt 10 minutas mercurius tantum ad 18 gradus caloris adſcendit et arteria tantum ſeptuagies in vna minuta pulſauit; poſt 25 minutas gradus caloris idem erat, ſed arteria rurſus ſeptuaginta ſepties pulſabat; paulo poſt acceſſit vertigo, perturbatio ſenſuum, cephalalgia, nauſea, delirium, conuulſiones cum ſpuma oris, ſequebantur deinde animi deliquia et arteria centies in vna minuta pulſabat. Aeger immiſit poſtea manus ac pedes aquae frigidae, qua tremor totius corporis et calor inſignis mitigabantur, deinde hauſit aquam calidam et euomuit magnam partem camphorae, nondum ſolutae; ſumto poſtea ſucco citri et aurantiorum, ſenſim redierunt ſenſus interni et reliqua ſymptomata ceſſarunt. Altero die poſt placidum ſomnum, ſenſit magnam corporis defatigationem et alui obſtructionem, tertio vero die plane conualuit.

7) *Deſcriptio inſecti cuiusdam aquatici in palude prope Noruicum vernali tempore a. 1762 inuenti.* Auctore Cl. E. KING. Licet Cl. Auctor inſectum hoc nouum plane, et a nemine adhuc obſeruatum eſſe autumet, ex deſcriptione tamen et icone appareret, illud ad monoculorum genus pertinere, aut plane non diuerſum eſſe ab eo, quod Cl. SCHAEFFERO *apus piſciformis* audit et ab eo ſingulari libel- p. 72.

lo Norimbergae 1752 edito, deſcriptum eſt (*) LINNAEUS illud ad *cancros* retulit et cancrum (*ſtagnalem*) macrourum, articularem, manibus adactylis, pedibus patentibus, cauda cylindrica bifida vocat, licet ſuſpicetur, illud forte laruam cuiusdam ephemerae eſſe, quod tamen nec SCHAEFFERUS, nec KINGIUS obſeruarunt.

p. 65. 8) *Relatio de hominibus proceritatis eximiae, viſis prope fretum Magellanicum anno 1764 ab iis, qui in naue bellica*, delphinus *dicta, erant, praefecto Ill.* BYRON; *in litteris Cl.* CHARLES CLARKE *ad Cl.* MATY. Gigantes illi, de quorum exiſtentia tantae lites motae ſunt, nunc a fide digniſſimis teſtibus viſi, colore erant cupreo, pilis longis nigris, ſtatura corporis 9 pedum longitudine, robuſtiſſima, maxime proportionata; foeminae 8 circiter pedum longitudinem aequabant. Equi eorum robuſti quidem, ſed parui erant.

p. 80. 9) *Litterae a Cl.* WILLIAM SHARP *ad Cl.* JAMES PARSONS, *quae continent relationem de machina recens inuenta, fractis cruribus applicanda.* Conſiſtit ex duabus ferulis, e charta conglutinata craſſiori compoſitis, quarum inferior ſiue ea, quae exteriori lateri cruris applicatur, atque *fibularis* dici poſſet, interius concaua, exterius conuexa eſt, longitudine 18 poll. latitudine $2\frac{3}{4}$ poll. Huic tres loricae adnexae ſunt, quae, foraminulis pertuſae, crus circumdant. Ad malleum vero foramen magnum irregulare relinquitur. Inferius ad partem ferulae, quae pedem extremum ſuſtinet, alia lorica pertinet, quae pedem cingit et ducta per trochleam alterius ferulae internae, ſiue tibialis, quae tribus globulis, ad affigendas loricas aptis, inſtructa eſt, ad eius

(*) Vid. Comment, Vol. II. p. 360.

eius globulum inferiorem appenditur. Hac machina, in icone adiecta, delineata, quae fascia firmatur, feliciter vsus est in variis fracturis cruris, et simplicibus, et complicatis. In repositione ossium fractorum non vulgari modo extensionem pedis dolorificam et difficilem adhibet, sed aegro, in situ horizontali in illud latus collocato, in quo crus fractum est, pedem versus abdomen ita flectit, vt extensores relaxentur musculi, sub quo situ extremitates ossis fracti facillime in pristinum situm reponi possunt. In eodem quoque situ eum per reliquum curationis tempus seruat, nec capsa PETITI opus esse asserit. Idem quoque situs in fractura femoris adhiberi potest.

10) *Relatio de spasmo maxillae et paralysi, ope electrica curatis, a Cl.* EDWARD SPRY *in litteris ad Cl.* CHARLES MORTON *datis.* Virgo 18 annorum a terrore incidit in motus conuulsiuos, sensimque maxilla spasmo clausa est, acciditque paralysis lateris dextri sub coxa. Omnibus remediis iam frustra tentatis, Cl. Auctor tandem applicauit cruri paralytico vim electricam, cuius ope in sex dierum tempore aegra rursus hoc vti poterat, applicatis postea ictibus electricis ori, linguae, temporibus, mento, iisque sensim auctis, tandem intra quatuordecim dies vsum maxillae ac linguae recuperauit et plane conualuit. p. 88.

11) *Experimenta, instituta cum aqua, quae* Londini *in loco*, Rathbone-Place *dicto, hauritur, a Cl.* HENRY CAVENDISH. Per experimenta, hic descripta cognouit Cl. Auctor, mensuram anglicam (*pint*) siue 7315 grana huius aquae continere 1) $\frac{3}{10}$ gr. salis volatilis alcalini; 2) $8\frac{4}{10}$ gr. terrae, cuius parua pars ex magnesia constat, reliqua e terra p. 92.

calcarea; 3) tantum aeris fixi, quantum continetur in $19\frac{8}{10}$ gr. terrae calcareae; 4) $1\frac{2}{10}$ gr. ſelenitidis; 5) $7\frac{2}{10}$ gr. mixturae ſalis marini et Epſonienſis, ac ſummam partium ſolidarum, in vna menſura contentarum, $27\frac{1}{2}$ gr. ſiſtere.

p. 108. 12) *Deſcriptio meteori, quod viſum eſt Oxoniae d. 12. oct. 1766, in litteris a Cl.* JOHN SWINTON *ad Cl.* CHARLES MORTON *datis.*

p. 111. 13) *Obſeruationes nonnullae de examinibus culicum, inprimis de illo, quod Oxoniae die 20 auguſti 1766 viſum eſt; in litteris Cl.* JOHN SWINTON *ad Cl.* CHARLES MORTON. Hoc anno inſignis culicum quantitas aderat, vt ſaepe aerem obſcurarent, ac morſu inflammationes excitarent. Inprimis vero obſeruauit Cl. Auctor, die 20 aug. in horto culices in ſex columnis a ſex ramis mali adſcendiſſe ad altitudinem 50–60 pedum; duae harum columnarum erant perpendiculares, tres obliquae et vna formam pyramidalem ſiſtebat. Quam quidem rem inprimis hanc ob cauſſam commemorat, quod nemo adhuc zoologorum obſeruauit, culices ad tantam altitudinem adſcendere poſſe.

p. 114. 14) *Deſcriptio andrachnes cum charactere eius botanico.* Auctore Cl. G. D. EHRET. Frutex paruus quatuor pedum altitudine, ramis ſparſis, cortice vernali tempore ſubuiridi, fuſco, verſus hiemem in rubrum mutato, folia petiolata, oblonga, leuiter ferrata, quatuor pollicum longitudine, duorum cum ſemiſſe latitudine habet. Rarior hic frutex primum in Anglia floruit in horto Cl. FOTHERGILL et racemum, ex ſpicis minoribus congeſtum, floribus albis copioſis ornatum, produxit; ramuli ſpicarum et florum pedunculi filamentis conſiti ſunt. *Arbutus* andrachne

ne, *fruteſcens, ſpica erecta, foliis ouatis integris et ſerratis, bacca tuberculoſa, polyſperma*, dicitur et partes floris et fructus, a latere rami, egregia icone expreſſi, ſeparatim delineantur. Calix eſt paruus, quinquifidus; corolla monopetala, vrceolaris, margine quinque dentato; nectaria decem exigua; ſtamina decem; ouarium ſiue germen ſubgloboſum, piloſum, ſtylo ſimplici, ſtigmate ſubrotundo longitudine corollae, fructus bacca globoſa, tuberculata. Haec ex fructu ſicco, quem Cl. A. RUSSEL Aleppo miſit, delineata eſt. Ab arbuto *vnedo* vix differre videtur, etſi quaedam folia non adeo ſerrata ſunt. Refert etiam Cl. Auctor, eſſe vnam ex illis, quas Cl. GORDON ex ſeminibus Aleppo miſſis, anno 1754 obtinuerat. Planta flores aeſtate 1765 emiſit et, per hiemem leuiter tecta, maio ſequentis anni fructus oſtendit.

15) *Hiſtoria fetus, qui natus eſt cum encephalo minus perfecto; cui additur ſupplementum tentaminis de vſu gangliorum, publicati in actis philoſophicis anno 1764, a* Cl. JAMES JOHNSTON. Erat puella iuſto tempore nata, cui deerat totum cranium, eiusque baſin obtegebat membrana carnea; in fouea baſeos haerebat encephalon magnitudine nucis auellanae; oculi perfecti, neruus vero opticus vt et medulla ſpinalis nimis tenues erant. Viſcera thoracis et abdominis perfecta, atque cor valde robuſtum erat, nec vlla pars deerat, praeter cerebrum. Ante partum mortuus erat hic fetus, pulmones enim in aqua ſubſidebant. Plura exempla eiusmodi fetuum, ex diverſis Auctoribus collecta, hic affert Cl. Auctor atque hinc concludit, hos fetus ſemper ſtatim poſt partum mori, cum irritabilitas cordis tantum a calore matris in illis ſuſtineatur; neruum intercoſtalem inprimis e medulla ſpinali originem ducere; irritabilitatem cordis ſine influxu neruorum capitis pendere p. 118

a neruo intercoſtali eiusque gangliis et medulla ſpinali. Alias *) iam publicarat, ganglia praeſertim ſita eſſe in neruis intercoſtalibus et aliis, qui muſculos, quorum motus inuoluntarius eſt, ingrediuntur, eaque rarius inueniri in neruis muſculorum, ad motum voluntarium aptorum, ac nunquam in neruis ſenſoriis, ideoque ope gangliorum motum cordis, inteſtinorum et vueae ſemper inuoluntarium fieri. Refutat itaque argumenta, huic doctrinae oppoſita, hoc modo. Contra primam oppoſitionem: *quemlibet neruum ſpinalem habere ganglion vnum, ac interdum vnum vel duo inueniri ad ſubdiuiſiones paris quinti nervorum:* ita ſe defendit; ganglia nimirum haec non ad neruos ſpinales, ſed ad intercoſtales pertinere, atque ex his proficiſci ſurculos ad neruos magnos ſympathicos; deinde legem naturae perpetuam, qua omnes partes gangliis inſtruantur, quarum motus a voluntate noſtra non pendeat, rarius eae, quae ab hac pendeant, nec vnquam nerui ſenſorii, gangliorum vſum peculiarem ſatis declarare. Ganglia vero ramorum nerui paris quinti non perpetuo adſunt **), et ſi quoque adeſſent, tamen cum hi rami ad glandulas ſaliuales et mucoſas, circa linguam, palatum, pharyngem, naresque ſitas, diſtribuantur, ſecretioni glandularum inſeruire videntur. Ad oppoſitionem ſecundam: *a neruis intercoſtalibus mitti ramos et ad partes voluntati noſtrae obnoxias, v. c. ad pharyngem ac diaphragma, et ad cor ac inteſtina, illi minime ſubiecta,* reſpondet, motum pharyngis et diaphragmatis mixti generis

*) Vid. Philoſ. Tranſactions Vol. LIV. for the Year 1764. p. 177 ſqq. et Commentar. hor. Vol. XIV. p. 315.

**) Agitur inprimis hic de ganglio rami palatini ſecundi rami quinti paris, quod Cel. MECKELIUS in *Mem. de Berlin* T. VII. p. 85 etc. deſcripſit. vid. Comm. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 399. Monet autem Ill. HALLERUS hoc non ſemper reperiri. *Elem. Phyſ.* T. IV. p. 213. Maxillare vero et lenticulare ſemper adſunt.

generis et modo voluntarium, modo inuoluntarium eſſe, ac muſculos, quorum motus eiuſmodi generis eſt, neruos duplicis generis habere, tales ſcilicet, qui gangliis careant et voluntati obediant, ac tales, qui gangliis inſtruantur, et motus inuoluntarios excitent. Contra obiectionem tertiam: *ſi ganglia cohibeant communicationem ſenſorii communis et partium, quarum nerui a gangliis proficiſcuntur, ſequitur, his non ſolum motus harum partium inuoluntarios reddi, ſed ipſas etiam has partes inſenſibiles fieri:* haec proponit. Inteſtinorum, quibus ganglia neruos exhibeant, ſenſilitatem maximam contrarium docere. Etenim credit Cl. Auctor, interruptam directionem paralelam filamentorum, neruoſorum in gangliis ſenſationes harum partium, quibus ganglia neruos mittunt, magis quidem confuſas ac minus determinatas reddere, quam in aliis partibus, has vero partes minime hinc plane inſenſibiles fieri; membra enim paralytica, quae a voluntate moueri non poſſint, ſaepe ex ſtimulo dolorifico vel ex pathemate vehementiori contra voluntatem moueri. Varias denique partes, vt pulmones, hepar, lien, quae a gangliis neruos accipiunt, ſenſum tantum confuſum habere, multas obſeruationes declarare. Obiectioni quartae: *quilibet muſculus ad voluntatem agens, contra hanc agit, ſi vehementer ſtimulatur, v. g. acceleratores vrinae ad voluntatem expellunt vrinam, contra hanc vero ſemen:* ſic reſpondet, vt concedat quidem, animum in vehementioribus pathematibus perdere imperium in corpus, hinc tamen non concludendum eſſe putat, ſtimulos, qui afficiant cor, inteſtina, aliasque partes, quarum motus inuoluntarii ſint, ac vix ab animo percipiantur, ſimilem habere effectum. Oppoſitionem tandem quintam: *quamquam motus vueae eſt inuoluntarius a luce irruente, is tamen voluntarius redditur, dum vuea contrahitur ad diſtinguendum*

obiectum oculo propius applicatum, cuius minimas partes vix accurate obseruamus, sic vincere annititur Cl. Auctor. Etenim hae contractiones vueae ei potius inuoluntariae videntur, ab impressione variorum graduum lucis pendentes. Sunt itaque ganglia quasi parua cerebra siue germina neruorum, ex mixta substantia corticali et medullari, quae vasis sanguiferis nutritur, composita, vbi varia neruosa filamenta colliguntur; atque ex his gangliis oriuntur nerui, qui ad organa mittuntur, quorum motus inuoluntarius est, atque causſam exhibent, qua impeditur voluntas nostra, quo minus ad haec organa extendatur. Limitatur itaque facultas arbitraria animi in oeconomia animali per ganglia.

p. 132. 16) *Cl.* IOH. WINTHROP *cogitata de cometis; communicata a Cl.* BENIAMIN FRANKLIN.

p. 155. 17) *Tentamen determinandi vltimos fines Indiae Orientalis vēteribus cognitae*, Auctore Cl. JOHN CAVERHILL.

p. 179. 18) *Dimensio distantiae solis a terra*, Auctore Cl. S. HORSLEY.

p. 186. 19) *Descriptio apparatus ad instituenda experimenta electrica commodioris, quo vis electrica auctior, experimentator ab omnibus fortuitis ictibus tutior reddatur, et omnia in hoc experimentorum genere felicius succedant, suppeditata a Cl.* C. L'EPINASSE.

p. 192. 20) *Epistolae duae* Ill. WILLIAM HAMILTON *ad Ill. Comitem* MORTON, *in quibus relatio de eruptione Vesuuii* (d. 28 mart. 1766) continetur.

p. 201. 21) *Excerptum ex litteris Cl.* JOHN HOWARD *ad Cl.* WILLIAM WATSON, *fistens nonnullas obseruatio-*

ſeruationes de calore thermarum Bathonienſium. Gradus caloris in balneo regio (*Kings-Bath*) et calido (*hot-Bath*) ad 113 gr. thermometri Fahrenheitiani adſcendit.

22) *Obſeruationes de calore thermarum Bathonienſium et Briſtolienſium, a Cl.* JOHN CANTON. Calorem ſummum thermarum Bathonienſium $114\frac{1}{2}$ gr. aequare refert. Briſtolienſium 76 gradus thermometri Fahrenheitiani. p. 203.

23) *Litterae* Cl. DAINES BARRINGTON *ad* Cl. WATSON *de piſcibus ſingularibus in* Wallia *reperiundis.* In lacu quodam, *Llyn Raithlyn* dicto, in comitatu *Merionethienſi* Walliae ſito, *percae* reperiuntur *percae fluuiatili* in omnibus ſimiles, niſi quod corpore gibbo, ſpina incurua et cauda bifurcata quaſi ſint. Similem *perca fluuiatilis* varietatem in ſtagnis Fahlunenſibus reperiri LINNAEUS iam adnotauit. Truttae quoque ſimilis varietas in riuulo aliquo Walliae reperitur. In alio lacu omnes piſces vno oculo carere, Noſtro relatum eſt. p. 204.

24) *Obſeruatio eclipſis ſolaris die quinto auguſti anno 1766 in inſula* New-found-land *inſtituta a Cl.* JAMES COOK, *vna cum determinatione longitudinis loci, in quo inſtituta eſt; communicata a Cl.* I. BEVIS. p. 215.

25) *Litterae ad Cl.* DACOSTA *a Cl.* WILLIAM MARTIN *datae, quae excerpta ex litteris filii ſui* FLEMING MARTIN, *Bengala, de calore eius climatis* d. 1 oct. 1765 *ſcriptis, continent.* Tanto aerem in regionibus Bengalenſibus calore hoc anno excanduiſſe, notat Cl. Auctor, inprimis menſe iunio, vt mercurius in thermometris exquiſitis raro p. 217.

infra

infra 98° depreſſus, et per aliquot diei horas ad 104° eleuatus obſeruaretur. Quae enim de calore, ad 120° adſcendente, monet, incertis obſeruationibus nituntur. Quare, niſi ſequente menſe iulio vt plurimum paulo remiſſior calor ſuccederet, maxima inde ſtrages hominum eſſet verenda, cum intenſus calor iunii adeo noxius ſanitati ſit, vt multi ex maligna putridaque febre ſubito concidant. Eam praeterea tempeſtatis huius regionis reliquis menſibus rationem eſſe obſeruat, vt hominum, etiam optima ſanitate praeditorum, vires breui proſternantur.

p. 221. 26) *Experimenta cum cortice Peruuiano inſtituta a Cl.* THOMAS PERCIVAL. Vndecim inſtituit Cl. Auctor experimenta, quorum praecipua hic adnotabimus. Vnciam vnam corticis Peruuiani, groſſo modo contuſi, diuiſit in duas partes, ac alteram infudit aqua fontana frigida per 48 horas, alteram coctioni ad lenem ignem per 40 minuta ſubiecit, donec tertia pars euaporata erat, deinde vtrumque linteo percolauit. Quatuor grana ſalis martis in vncia vna aquae fontanae diſſoluit, eiusque drachmam vnam ad vnciam ſemis vtriusque liquoris addidit, vnde vterque accepit colorem fuſco-purpureum, inprimis infuſum, atque corticis Peruuiani odorem et ſaporem retinuit. Aequalem partem reſidui vtriusque coxit in aqua fontana per 20 minuta ad ignem lenem, vtrique deinde admiſcuit ſolutionem martialem, qua vtrumque decoctum accepit colorem fuſcum chocoladae ſimilem. Vtrumque reſiduum per 40 horas liquore, *rum Iamaicenſi* dicto, infuſum eſt et admixta ſolutione martiali colorem nigro-brunum accepit. Porro vnciam dimidiam pulueris corticis Peruuiani cum vncia vna aquae fontanae frigidae bene in mortario triturauit Cl. Auctor, poſtea, decantato liquore puro, denuo

ac

ac ſaepius addidit aquam, atque tam diu triturauit, donec intra 34 horas vnciae ſex aquae pulueri admixtae erant, quam mixturam deinde per 14 horas ſine calore infudit et colauit; hoc infuſum fortius erat infuſo ac decocto ſuperius commemorato et colorem multo nigriorem ab admixta ſolutione martiali accepit. Diſquiſiuit deinde efficaciam comparatiuam extracti corticis Peruuiani, decocti eius, infuſi frigidi, tincturae et infuſi, triturationе parati, atque cuilibet adiecit ſolutionem martialem, qua vltimum colorem nigerrimum accepit. Infudit deinde vnciam dimidiam pulueris corticis Peruuiani in vnciis quinque aquae fontanae et vncia vna aceti vini per 48 horas ad ignem, idque ſaepe conquaſſauit, deinde filtrauit; liquor acetum vix ſapore, attamen odore prodidit et, addita ſolutione martiali, leui colore nigro tinctus eſt. Corticis Peruuiani puluis cum calce viua mixtus, aqua infuſus et filtratus, odorem plane amiſit, nec a ſolutione martiali eius color mutatus eſt. Ex his concludit Cl. Auctor, decoctum corticis Peruuiani ſemper eſſe minus efficax, cum reſina ſeparetur a gummi. Huic praeferendum eſt infuſum, ac magis tinctura, quae tamen ob indolem calidam non ſufficienter adhiberi poteſt; commendat itaque infuſum melius applicandum, quod parat ex corticis Peruuiani pulueris vncia vna, corticis aurantiorum inciſi vncia dimidia, aquae cinnamomi ſimpl. vnciis duodecim, aquae cinnam. ſpir. vnciis duabus, quae in vaſe clauſo per ſeſquidiem ſine calore infundantur et colentur.

27) *Diſquiſitio de probabili parallaxi ac magnitudine ſtellarum fixarum, ex quantitate luminis, quod ad nos transmittunt, ac ſingulari earum ſitu a Cl.* JOHN MICHELL. p. 234.

28) *Ob-*

Pars II. p. 265. 28) *Obſeruationes thermometricae* Derby *factae, a* Cl. JOHN WHITEHURST, *communicatae a* Cl. CHARLES MORTON.

p. 266. 29) *Tentamen interpretandi inſcriptionem nummi peculiaris Phoenicenſis, nondum hucuſque explicatam; in litteris Cl.* JOHN SWINTON *ad Ill. Comitem* DE MORTON.

p. 280. 30) *Adnotationes de diuerſis relationibus ſuper foecunditate piſcium exhibitis, cum nouis obſeruationibus ſuper hac re inſtitutis.* Auctore Cl. THOMAS HARMES, communicatae a Cl. S. CLARK. Cum Auctores in numero ouorum, quae vna eademque ſpecies piſcis cuiusdam continet, inſigniter differant, minuta calculatione Auctor Cl. in hanc rem inquiſiuit. Nonnullae piſcium ſpecies oua ſua non vno die, ſed diverſo tempore deponunt, quapropter oua diuerſae magnitudinis in iis reperiuntur. Hoc in *gaſteroſteo* inprimis, *tinca*, *ſcombro* et *cyprino* Cl. Auctor obſervauit, atque forte cauſſa eſt differentiae in numeris ouorum, quae apud varios Auctores occurrit. Non ſuperuacaneum eſſe putamus, ſi ſequentem tabulam, quae ſummam obſeruationum Auctoris noſtri continet, adiiciamus.

Nomina piſcium.	Pondus ouorum.	Numerus ouorum.	Dies obſervationis.
Cyprinus carpio	2571 grana.	203109	d. 4 april.
Gadus morrhua	12540 -	3686760	d. 23 dec.
Pleuronectes fleſus	2200 -	1357400	d. 14 mart.
Clupea harrengus	480 -	36960	d. 25 oct.
Scomber ſcomber	1223½ -	546681	d. 18 iun.
Perca fluuiatilis	765½ -	28323	d. 5 april.
Eſox lucius	5100½ -	49304	d. 25 apr.
Cyprinus rutilus	361 -	81586	d. 2 mai.
Salmo eperlanus	149½ -	38278	d. 21 mart.
Pleuronectes ſolea	542½ -	100362	d. 13 iun.

Pondus

Pondus *ſcombri*, in quo obſeruatio inſtituta eſt, duodeuiginti vncias aequabat; *pleurouectis fleſi* viginti quatuor vncias et drachmas quatuor; *pleuronectis ſoleae* quatuordecim vncias et octo drachmas; *gadi* autem *morrhuae*, qui omnes piſces, quos Cl. Auctor examinauit, ſuperat foecunditate, pondus non indicatum eſt.

31) *Relatio de hydroenterocele, quae ſimulabat hydroſarcocelen, ac tandem lethalis erat, in qua inteſtinum ex herniae ſacco in ſaccum hydroceles peruenerat, ibique erat incarceratum; communicata a* Cl. LE CAT *in litteris ad* Cl. CHARLES MORTON, *translata a* I. O. JUSTAMOND. Vir ſexaginta quinque annorum hernia laborabat incarcerata et vomitu; eum tumor mollis videretur, ac digitus annulo immitti poſſet, inferiusque hydrocele pellucida eſſet et in baſi ſcirrhus tangeretur: Cl. Auctor minime ſuſpicabatur herniam incarceratam et aeger periit ex debilitate. In eius diſſectione ſaccus herniae incidebatur, ac apparuit larga inteſtini portio flaccida, cuius inſignis pars in ſaccum hydroceles tunicae vaginalis teſticuli detruſa erat, quae quidem res notatu digniſſima hic icone illuſtratur. p. 293.

32) *Nouorum quorundam in re electrica experimentorum ſpecimen, quod regiae Londinenſi ſocietati mittebat die 26 aprilis 1766* Cl. IOAN. BAPTISTA BECCARIA, *communicatum a* Cl. M. MATY. p. 297.

33) *Specimen hiſtoriae naturalis Volgenſis*, Auctore I. R. FORSTER. Fragmenta ſunt hiſtoriae naturalis regionis inter gradum quinquaginta duo et quadraginta octo latitudinis borealis ex vtraque ripa fluminis Volgae ſitae, quae Cl. Auctor, qui certe ſingulari ſtudio et amore hiſtoriae naturalis incenſus eſſe p. 312.

eſſe videtur, intra paucos menſes a menſe ſcilicet maio ad initium ſeptembris 1765 collegit, ex quibus
p. 315. ſequentia enarraſſe ſufficiat. Deſcribit primum ea, quae ad minerale regnum pertinent. In medio vaſti deſerti trans Volgam campus, in longum centum et quadraginta, in latum quinquaginta milliaribus Anglicis patens, totus ſabulo, particulis minoribus ſpathi, quarzi et micae compoſito, coopertus eſt. In littore Volgae Orientali ne paruae quidem molis lapis, exceptis tophaceis quibusdam concretionibus, ad plura milliaria reperitur, terrae ſuperficie pratis vndique tecta; cum tamen in Occidentali littore montes ſint, lapidibus diuites. Ingentem ſalis copiam maximae imperii Ruſſici parti ſufficientem, lacus ſalſus, *Telton* a Ruſſis dictus, praebet, trans Volgam ſitus. Aqua coloris rubicundi eſt, ab argilla e montibus defluente, quatuor tantum pedum profunditatem habet, ſub qua ſtrata ſalis tres circiter pollices craſſa, ad inſignem altitudinem reperiuntur. Hunc ſalem ferreorum inſtrumentorum ope accolae, lintribus in altum Anglicum circiter milliare a littore euecti, ſeparant et ſalem in littus vehunt, ibidemque aquae lacuſtris ope eluunt. Quotannis ad centum et viginti millena millia librarum ſalis eruuntur et in Imperatricis Ruſſicae horrea deuehuntur, ex quibus per omne imperium Ruſſicum diſtribuitur. Inter ſtrata ſalis paſſim ingens copia ſalis mirabilis reperitur et licet id aquae ope a ſale culinari ſeparetur, tamen ſemper aliqua eius portio remanet, quae efficit, vt hoc ſale minus bene in aſpergendis carnibus vti poſ-
p. 321. ſint. In vrbe Saratouia fontes ſunt ſaporis ſtyptici, quos chemice Noſter diſquiſiuit, reperitque ſaporem hunc ex aliqua aluminis portione, quae huic aquae ineſt, pendere. Minera ferri cauernoſa, cuius quadraginta librae ſedecim libras ferri dant optimi, et quae ſcoriae magis, quam ferri ſimilis eſt, facillime liquefcit,

ſcit, in ſuperficie terrae copioſiſſimae plurimis in locis reperitur et cum ignem iam paſſa ſit, forte a monte igniuomo olim eructata eſt. Plantas, quas collegit Auctor Cl., fere omnes infortunio aliquo amiſit. *Salicornia caule geniculato* et alia, quae *caule tereti ſine geniculis* eſt, ab Auctore Cl. accuratius in loco natali examinatae, duo ſtamina et vnicum ſtylum habent, ideoque a ſpeciebus, huc vſque deſcriptis, differunt. In *veronica incana* folia ſuperiora ſeſſilia et integerrima inferiora et radicalia crenata et petiolata ſunt. *Onoſma ſimpliciſſima* antheras ſagittatas connatas habet. *Verbaſcum phoeniceum* floribus odoratiſſimis ſuperbit. *Spiraea crenata* ſiue *tatarica* folia ouato oblonga, alia apice crenata, alia integerrima et corymbum terminalem habet. *Sidam* quoque deſcribit Auctor Cl., quae ei noua eſſe videtur. *Morus tatarica* in inſulis Volgae et in omnibus inſulis Tanais ab oſtio eius ad Tzarizinum vſque reperitur, bombycesque eius foliis nutriti, ſericum optimum producunt. Ope pulueris *veratri albi*, quod vulneribus in tergo boum inſpergitur, oeſtrus expellitur. *Marſileam natantem* deſcribit, quam ideo curatius paullo examinauit, quo deſiderio Ill. LINNAEI ſatisfaciat, qui genus *Marſileae* determinare promiſit, ſi haec ſpecies examinata fuerit. Ex regno tandem animali adnotamus *canem vertagum*, hic et in omni Ruſſia pedibus durioribus ſubuilloſis inſtructum, hincque adaptatum eſſe regionibus, niuibus hieme obtectis, ideoque et tum ad venationem adhiberi poſſe, quando reliqui vertagi nil proficiunt. *Khalmyccici equi* triduo ad 400 milliaria Anglica curſu perficiunt, *Tſchercaſſici* vero curſu omnium velociſſimi et laboris feraciſſimi triduo, vltra 500 imo 600 milliaria Anglica perficiunt. Omittimus ea, quae in reliquis animalium claſſibus notatu digna ſunt, inter quae inprimis eſt deſcriptio variarum ſpecierum, quae ad *acipenſeris* genus referuntur.

p. 323.

p. 341.

p. 358. 34) *De problemate quodam algebraico, deque euolutione mechanicae cuiusdam curuae inter infinitas hypermechanicas, quae determinatae aequationi satisfaciunt*, Auctore *Cl.* PIO FANTONI, *communicauit Ill.* HORACE MANN.

p. 372. 35) *Dissertatio de maxime lucrosa rotarum vi aquae motarum fabrica, a Cl.* MALLET, *communicata a Cl.* MATY, *e Gallica lingua translata a Cl.* I. BEVIS.

p. 389. 36) *Noua methodus construendi solaria pro quauis data loci latitudine horologia, sine scalis gnomonicis atque calculo trigonometrico, auctore Cl.* JAMES FERGUSON.

p. 394. 37) *De origine insularum, a Cl.* ALEXANDER DALRYMPLE, *communicauit Cl.* CH. MORTON. Disquiritur hic inprimis origo insularum humilium et planarum Oceani, praesertim maris Mediterranei. Hae insulae in genere sunt longae, angustae, ac formantur ab Isthmo angusto, in cuius media parte mare includitur, cum portu quodam vel introitu. Formantur, si vndis tempore tempestatum coaceruantur strata corallina cum arena copiosa, quae, si tantam attigerint altitudinem, vt ab vndis communibus vix tangi possint, tum oritur insula ac mutatur in domicilium auium, atque humus sensim vegetatur a seminibus, radicibus et ramis, fortuite allatis.

p. 398. 38) *Tentamen determinandi athmosphaerae solaris altitudinem, ex altitudine macularum solarium, in solis superficie conspicuarum, ad Cl.* I. ELLICOT *transscriptum a* Cl. HORSELEY.

p. 402. 39) *Eclipsis solis die 16 augusti 1765 Cadomi Normandiae a Cl.* NATHANAEL PIGOTT *obseruata et a Cl.* I. BEVIS *communicata.*

40) *Ex-*

40) *Excerptum epiſtolae* Cl. JOHN ELLIS adp. 404.
ill. LINNAEUM *de animali natura illius generis* zo-
ophytorum, *quod* corallinae *nomen gerit. Corallinas* non zoophytis adnumerandas, quod ELLISIUS et LINNAEUS Viri Cl. docuerunt, ſed inter vegetabilia collocandas eſſe, Cl. BASTERUS *) olim et nuper Cl. PALLAS in *elencho zoophytorum* **) probare anniſi ſunt. Contra hos hoc commentario inſurgit ELLISIUS, et neſcimus, quam ob cauſſam
forte iuſto acrius contrariae ſententiae defenſores p. 418.
ita refellit, vt doceat, eodem modo, vt *ſertulariae* et *eſcharae* genera, ita etiam *corallinas* animalis proſapiae eſſe. Monet vero primum contra Cl. PALLAS, *corallinam pauoniam* eiuſdem non ad *corallinas* pertinere, ſed *fucis* inſerendam eſſe, vti a LINNAEO Cel. iam factum eſt, arcusque transuerſos in ea deprehendendos, quos Cl. PALLAS ſeminiferos dixit, non calcareae indolis eſſe. Deinde probat et, adiectis iconibus elegantiſſimis, confirmat, corallinas ſtructura ſua ad varia alia zoophytorum genera accedere, quod Cl. PALLAS negauit, atque v. c. *corallinam officinalem* cum *millepora calcarea: corallinam roſariam* et *corallinam incraſſatam* ELLISII cum *millepora truncata* cet. conuenire. Porro experimentis chemicis, a Cl. WOULFE inſtitutis contra MARSIGLIUM ***), et, qui huic fidem habuit, Cl. PALLAS oſtendit, oleum animale et ſal alcalinum volatile omnino, deſtillatione inſtituta, ex corallinis educi poſſe, cum Cl. WOULFE e duodecim vnciis *corallinae officinalis* vnciam fere vnam cum ſemiſſe ſpiritus et ſalis alcalini obtinuerit. Minutiem pororum et defectum obſeruationum, quibus polyporum in corallinis praeſentia

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LII. p. 111. et Comment. noſtr. Vol. XII. p. 709.
**) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 154.
***) Hiſt. mar. p. 78.

ſentia demonſtrata ſit, nil probare, cum polypi accuratioribus examinibus forte detegi poſſint, nec in poris habitent, ſed tota corallina vnum et integrum animal ſeu planta animata ſit. Tandem ad *coralinam terreſtrem* Cl. PALLAS, quam Cl. MEESE, vt alio loco monuimus *), in Friſiae ericetis inuenit, accedit, atque probat, illam non eſſe plantam, ſed e mari, quod Belgiam olim obtegit, aduentitiam eſſe, ideque, quod Cl. PALLAS, vt fructificationes, deſcribit, ramos eſſe imperfectos. Neque noduli et tubercula ſeminulum continentia, quae in *corallinis* reperiuntur, botanicis haec corpora relinquenda eſſe, docent, cum alias *ſertulariae*, *cellulariaeque* variae et *millepora calcarea* atque *agariciformis*, in quibus ſimilia omnia reperiuntur, etiam e zoophytorum numero excludendae eſſent. In adiecta tabula aenea *millepora truncata*, *corallium lichenoides*, *corallina officinalis*, *millepora calcarea*, *corallina roſarium* (barbata PALL.?) *corallina incraſſata* et *corallina terreſtris* atque ſtructura horum zoophytorum delineatur.

p. 421. In ſupplemento, commentario huic adnexo, Cl. ELLISIUS contra BASTERUM Virum Cl. inprimis diſputat, qui corallinas conferuis adnumerandas eſſe, aſſerit. Dicit vero ELLISIUS *conferuam*: plantam, cui ſunt filamenta articulata, vel ſimplicia vel ramoſa, fructificationes, vario modo diſpoſitas, habentia; *corallinam* vero animal habitu plantae creſcens, cuius ſtirps fixa e tubis capillaribus, per cruſtam calcariam porоſam ſeſe exſerentibus, compoſita eſt: rami vero articulati ſemper ramuloſi vel diuaricati liberi vel conglutinati et connexi ſunt. Si corallina acido liquori immittitur, cruſta calcarea ſecedit, cum conferua ab acido liquore nullam mutationem ſubit. His praemiſſis, ELLISIUS fructificationem *conferuarum* deſcribit, oſtenditque *conferuam polymorphan* et

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 154.

et plumoſam ad *dioecia* pertinere, cum in vna plantula flores maſculi, vero in alia capſulae ſeminiferae reperiantur. Addit deſcriptionem fructificationis in *conferua floſculoſa*, quae flores pedunculatos habet, *geniculata*, *plumula*, cuius ſemina pulpa includuntur, et *ciliata*, eaque omnia elegantiſſimis figuris illuſtrat.

41) *Deſcriptio actiniae ſociatae ſeu floris animalis* p. 428.
racemoſi (cluſtered animal-flower) *repertae*, *nuper in oris maritimis inſularum vltima pace ab Anglis in America acquiſitarum* (new ceded Islands) *in litteris Cl.* ELLIS *ad Ill. Comitem* HILSBOROUGH. Haec actiniae ſpecies duo genera ſatis a ſe inuicem remota *actiniae* ſcilicet, quae ad *molluſca* a LINNAEO refertur, et *hydrae*, quae ad *zoophyta* eiusdem Auctoris pertinet, coniungit. *Actiniae* autem LINNAEI ſiue *meduſae* veterum, quae a ſcriptoribus Anglis *flores animales* (animal flowers) dicuntur, cum figura et colorum varietate variis floribus v. c. diantho, anemone cet. ſimiles ſint, dicuntur animalia ex molluſcorum ordine, quae corpore ſunt hemiſphaerico aut cylindrico, aut quod ficus formam habet. Subſtantia eorum differt. Alia enim gelatinoſa magis ſunt, alia carnoſa. Omnia vero facultate loco motiua gaudent et in rupibus, aqua marina fere ſemper tectis, quibus baſi affiguntur, ex vno loco ſe in alium, licet lente, mouere poſſunt. Os terminale habent, illudque vnica eorum apertura eſt, quae dentibus ſiue vngulis carnoſis varii coloris munitur. Per hoc os adſumunt animalia, quibus veſcuntur, caneros ſcilicet et aſtacos minores, atque poſteaquam nutrientes ſuccos exſuxerunt, per hanc ipſam quoque aperturam reliqua reiiciunt, per quam etiam fetus, vngulis iam munitos, pariunt *). His de *actiniis*

*) Species nonnullas, in Angliae oris maritimis reperiundas,

eorumque fabrica in vniuerſum praemiſſis, Cl. ELLIS *hydras* LINNAEI ſiue *polypos aquarum dulcium*, a TREMBLEYO primum accuratius examinatas, breuiter deſcribit, quo nouae *actiniae* ſpeciei conuenientia cum iis magis pateat; quam vero deſcriptionem cum ſingulares animalium horum proprietates ſatis notae ſint, hic praetermittimus. Iam vero quod nouam *actiniae* ſpeciem, hic deſcriptam, attinet, ea ex pluribus animalibus ita compoſita eſt, vt conſtet corporibus pluribus tubuloſis, ſuperius in bulbum intumeſcentibus, in quorum ſummitate os eſt, vna vel duabus ſeriebus tentaculorum vel vngularum circumdatum; inferius autem haec corpora inter ſe connectuntur tubo muſculoſo et rugoſo, radicis repentis aut flabellorum inſtar, qui rupi firmiter adhaeret et plures tubulos laterales ſimiles emittit, ex quibus alia animalia ſimilia, in racemos collecta, naſcuntur. Diſſecto animale, apparet, ab ore tubum aliquem deſcendere ad ventriculum vſque, ex quo octo inteſtinula oriuntur, flaueſcente ſubſtantia repleta, quae arcuum inſtar reflexa, ad inferiorem finem et tandem ad radicem vſque deſcendunt, et per eam ad fetus vſque vicinos protenduntur. Hinc probabile eſt, per hos canales ad naſcitura noua animalia a priore nutrimentum deferri, vſque dum fetus illi perfecti ſint et tentacula, quibus ipſi ſibi prouidere poſſint, habeant. Praeterea tendines plures in quouis animali inueniuntur, qui tentaculis mouendis inſeruiunt et etiam ad radicem et per illam ad vicinum fetum porriguntur. Similem fere fabricam compoſitam ex pluribus animalculis, quae radi-

ce

riundas, Cl. GAERTNER in Tranſact. Phil. Vol. LII. p. 75. deſcripſit, quarum tamen III. LINNAEUS in ſyſtemate nullam mentionem fecit, tertia vero GAERTNERI ſpecies vti Cl. ELLIS monet ad *holothuria* LINN. pertinet.

ce aliqua repente, noua animalcula emittente, inter ſe communicant, in *ſertularia uniflora* et *cellularia anguina* detegere poſſumus, cum contra alia v. c. *ſertularia pumila* et *cellularia burſaria* animalia noua, ramorum inſtar, emittant. Quae ſi attentius conſiderantur, omnino probant, illas zoophytorum deſcriptiones, quibus illa cum vegetabilibus comparantur, minime veritati conſentaneas eſſe, cum in noſtro animale, in floribus ſic dictis, os tentaculis, quae tendinibus reguntur, inſtructum, ventriculus et inteſtina reperiantur, quae, ſi ad alia zoophyta, quibuscum ratione creſcendi maxime conuenit, applicantur, omnia haec corpora animalibus adnumeranda eſſe, oſtendunt. In figuris additis, praeter *actiniam ſociatam* etiam *actiniae* aliae: *actinia aſter* ſcilicet, *actinia anemone* et *actinia helianthus*, omnes ex inſulis Americae ſupra commemoratis, allatae, *actinia* porro *dianthus* ex Anglico littore et *ſertulariae cellulariaeque*, quarum ſuperius mentionem fecimus, eleganter delineatae ſunt.

42) *Litterae* Cl. EDWARD WORTLEY MONTAGUE *ad* Cl. W. WATSON, *in quibus obſeruationes nonnullae circa eam Columnam Aegyptiacam, quae vulgo a* POMPEIO *nominatur, continentur.* p. 438.

43) *Excerptum ex litteris Cl.* W. WATSON *die 14 febr. 1767 ſcriptis ad Cl.* JOHN HUXHAM, *concernens frigus eius hiemis.* p. 443 Poſt temperatiores aliquot annorum hiemes, notat Cl. Auctor, ingruiſſe viceſimo ianuarii anni 1767 eiusmodi frigoris vim, qualem, exceptis annis 1717 et 1722, aegre aliquis in Anglia vnquam expertus eſt. Londini quale fuerat, ex obſeruationibus, exquiſitis thermometris inſtitutis atque a Cl. Auctore recenſitis, perſpici poteſt; obſeruationes vero thermometricae in aliis

extra hanc metropolin inſtitutae indicant, illud multo in illis acrius ſaeuiiſſe. De quo, vt tanto accuratius iudicium ferri et cum frigore aliorum annorum ac locorum comparari poſſit, adiectus eſt index obſeruationum meteorologicarum, Plymouthi ac in nosocomio, huic loco propinquo, magna cura inſtitutarum.

p. 451. 44) *Deſcriptio electrometri excogitati a Cl.* LANE, *vna cum recenſione quorundam experimentorum, ope eius factorum, in litteris ad Cl.* BENIAMIN FRANKLIN.

p. 461. 45) *Cl.* THOM. HEBERDEN *annotatio de annuis incolarum in inſula Madera incrementis ac per mortem decrementis.* Incrementa annua incolarum huius inſulae ac decrementa, cum nulli fere aut pauciſſimi aduenae extranei in illa ſedem figant, nec eius incolae in alias regiones migrent, omnium aptiſſima ad conſtruendas tabulas natales ac mortuales, ex quarum conſtructione HALLEYUS aliique inclaruerunt, iudicat Cl. Auctor. Conſtituta itaque hypotheſi, per regulas in hoc arithmetices genere vſitatas eiuſmodi tabulae ſpecimen Cl. Auctor exhibet. Numerus incolarum ad 64614 adſcendit, cum anno 1747 circa 53057 tantum adfuerint. Ab anno 1759 ad annum 1766 numerus natorum eſt 17611, mortuorum 10351: hinc incrementum ſingulorum annorum, ſi medius numerus ſumitur, eſt 907 $\frac{1}{8}$. Proportio natorum ad ſummam incolarum eſt, vt 1 ad 29,35: denatorum, vti 1 ad 49,89. Proportio puerorum natorum ad puellas, vti 100 ad 96,39.

p. 464. 46) *Relatio de nonnullis permagnis dentibus foſſilibus, repertis in America ſeptentrionali, ac deſcriptis a Cl.* PETER COLLINSON. Erant adducti ex America

rica prope flumen *Ohio*, vbi copioſe inueniuntur haec oſſa in loco, *lincforio* dicto, quem damae ac bubali frequentant, ad lambendam terram ac ſalem ſalinarum, quibus abundat haec regio. Praeter plura vero elephantum oſſa (numerus enim ſceletorum, quae in profunditate pedum ſex inueniuntur ad triginta adſcendit) inprimis dentes laniarii longitudine ſex pedum, minime vero molares ibi inueniuntur. Cum vero America non elephantes alat, putat Cl. Auctor, tempore diluuii horum ſceleta per vndas ac ventos hic adducta fuiſſe, ibique, regreſſis aquis, permanſiſſe.

47) *Continuatio praecedentis relationis, de dentibus permagnis foſſilibus, a Cl.* P. COLLINSON. Concedit quidem Cl. Auctor, dentes laniarios, ſuperius deſcriptos, eſſe veros dentes elephantum, attamen molares, ſimul miſſos, minime conuenire cum molaribus elephantum aſſerit. Concludit itaque, vel inueniri ſpeciem peculiarem elephantis nondum cognitam, vel ibi adeſſe ſceleta animalis permagni, dentibus laniariis inſtructi, qui elephantum dentibus laniariis ſimiles ſint, ſed dentibus molaribus largioribus, huic ipſi propriis, praediti. Eiuſmodi dentes, quorum pondus quatuor libras aequat, adiecta icone, delineantur. p. 468.

48) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeani ſocietati regiae exhibitarum a ſocietate pharmacopoeorum a Cl.* WILLIAM HUDSON. p. 470.

49) *Relatio de nonnullis ſalibus mediis, cum acido vegetabili atque ſale ſuccini paratis, qua declaratur, acida vegetabilia inter ſe differre; atque ſal ſuccini acidum eſſe ſui generis, nec conuenire cum acido ſalis marini vel vitrioli, vti plures Auctores chemici contendunt.* p. 479.

Auctore Cl. DONALD MONRO. Cum Chemici vulgo doceant, omnia acida vegetabilia vnius fere eiuſdemque eſſe naturae, Cl. vero Auctor experimentis ſuis *) cognouerit, ſalia media, diuerſorum horum acidorum ope parata, inter ſe maxime differre, acida quoque haec, quoad eſſentiam, diuerſa eſſe con-
p. 484. cludit. Experimenta vero, hic relata, ita proponit, vt primo enarret ea, quae cum ſalibus natiuis vegetabilibus acidis, ſucco ſcilicet duarum ſpecierum citri, aurantiorum, perſicorum, groſſulariae, pomorum, ſale acetoſellae, ſucco tamarindorum, prunorum, mororum et vuarum, baſi alcalina ſalis ſodae vnitis, inſtituit. Obtinuit vero in omnibus his experimentis ſalia media, quoad figuram et guſtum, plane a ſe
p. 498. inuicem diuerſa. Secunda ſectione ſalia media ex acidis vegetabilibus fermentatis et alcali minerali paratis, deſcribuntur. Sunt vero illa acida, acetum vini vulgare et deſtillatum, cryſtalli tartari, atque ſuo-
p. 504. ci pomorum et pyrorum fermentati. Tertia ſectione de ſalibus mediis ex acidis vegetabilibus deſtillatis et alcali minerali oriundis agit. Acida, quae ad haec experimenta adhibuit, ſunt ſpiritus acidi ligni
p. 507. guaiaci, ligni abietis et mellis. Quarta ſectione tandem flores gummi benzoës, ſal acidum, cum oleoſa atque pauca ſubſtantia terreſtri mixtum, eſſe, oſtendit, ex eius cum ſolutione alcali foſſilis efferueſcentia. Obtinuit ex hac mixtione ſal medium peculiaris ſpeciei, plane ab alia, quae, floribus benzoës cum ſale ammoniaco volatili coniunctis, oriebatur, diuerſam.

*) Excitatus eſt ad haec tentamina, inprimis experimento aliquo a Cl. VOGEL, Profeſſore Gottingenſi in inſtitutionibus chemiae §. 469 relato. Refert enim ille, quod ſi ſali polychreſto Seignettiano decoctum tamarindorum adiiciatur, tunc ſal illud medium in ſuas partes conſtitutiuas ſeparari, ita vt ſoda ſe tamarindorum adſociet acido, cremor vero tartari ſeparetur et in fundum vaſis deferatur.

ſam. Sal quoque ſuccini acidum ſui generis eſſe, quod Cl. STOCKAR DE NEUFORN *) iam docuit, ex diuerſis ſalibus mediis, quae ex commixtione eius cum alcali minerali et alcali volatili obtinuit, probat. Ex his vero omnibus concludit, quodlibet acidum vegetabile peculiarem habere indolem ipſi propriam. Cum vero tanta ſit ſalium mediorum, ex coniunctione horum acidorum cum baſi alcalina ortorum, varietas, ita illa omnia a ſe inuicem diſtinguit, vt ea, quae ex acido vegetabili et alcali vegetabili compoſita ſint, nominet *ſalia vegetabilia;* quae cum alcali foſſili *ſalia neutra;* quae cum alcali volatili *ſalia ammoniacalia;* vt ita v. c. tres ſalium ſpecies, cum vno eodemque acido paratae, nominibus diuerſis diſtingui poſſint. Cum autem tota haec theoria adhuc a perfectione ſua remota ſit, et ampliſſimus hac in re campus pateat, vlterioribus experimentis plura momenta Auctor Cl. proponit, ad quae illi, qui hac in re vlterius progredi volunt, attendi debeant.

50) *Experimenta circa deſtillationem acidorum, alcalium volatilium* etc. *quibus demonſtratur, qua ratione illa ſine iactura condenſari et ſimul vapores ingrati ac noxii caueri poſſint.* In litteris Cl. PETR. WOULFE ad Cl. IOHN ELLIS. Noua hac deſtillationis methodo vapores per tubum vitreum anguſtum in aquam ducuntur, a qua recipiuntur. Siſtit vero apparatus, hic delineatus, retortam cum vaſe recipiente, cuius fundus tubulo inſtructus eſt, per quem liquor deſtillatus in vitrum adhaerens ducitur. Aliam vero hoc vas habet aperturam lateralem, cui ope ſuberis perforati tubulus curuus inſeritur, cuius extrema pars fundum vaſis aqua repleti tangit, in cuius vaſis p. 517.

*) Vide diſſert. inaug. de ſuccino, Lugd. Bat. 1760. Comment. noſtr. Vol. X. p. 40.

vaſis orificium tranſit per ſuber foramine pertuſum, neque glutine obductum. Vapores itaque aquam tranſeunt, et aër elaſticus per orificium, in ſubere relictum, auolat. Quanta afferat haec methodus, ad varias deſtillationes vario modo applicata, commoda, experimenta, hic deſcripta, probant. Vſus vero ea eſt Cl. Auctor in deſtillatione ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua, ſpiritus ſalis ope acidi vitrioli, ſpiritus nitri, et rectificatione olei vitrioli, phoſphori et liquoris anodyni etc. in quibus experimentis omnibus longe maiorem copiam ſpiritus obtinuit, quam in deſtillationibus, vulgari methodo inſtitutis, obtinere ſolemus. His experimentis variae aliae obſeruationes et nonnulla experimenta adnexa ſunt, quae ſub prioribus experimentis ſimul inſtituta ſunt. Prima ex iis eſt obſeruatio de calore, per vapores ſpiritus ſalis in variis fluidis, per quae tranſierunt, excitato. Circa reabſorptionem aëris in deſtillatione notat, in omnibus deſtillationibus aliquam copiam aëris elaſtici in initio liberam fieri, quae vero ſub progreſſu deſtillationis iterum abſorbetur. Naphtham ſalis marini, ex vaporum acidi huius cum vaporibus ſpiritus vini combinatione, obtinuit, ope apparatus, fuſius hic deſcripti, in quo vapores per ſpiritum vini condenſantur *). Aether, hac methodo paratus, licet non acidus ſit, tamen, ſi cum aqua miſcetur, vehementer efferueſcit. Naphtham quoque nitri per deſtillationem quandam, in qua ignis nullus adhibetur, praeparauit, vaporibus ſcilicet, ex commixtione ſpiritus nitri cum ſpiritu vini adſcendentibus, ſuſceptis et ope ſpiritus vini condenſatis.

*) Similis fere, ſed longe perfectior eſt haec methodus ea, quam Cl. BAUMÉ adhibuit, qui tamen vapores non perfecte condenſare potuit. Vide *Diſſertation ſur l'aether* par Mr. BAUMÉ, Paris 1757. 12. vid. Comm. noſtr. Vol. VIII. p. 116.

X.

Diſſertatio medico-chirurgica de vtero ſecundinas expellente. Auctore IO. CARL GEHLER, M. D. Reſp. *Guil. Io. Frid. Heinigke.* Sectio prior theoretica. Lipſ. 1765. 4. pl. 3½.

Moleſtiae, de quibus feminae poſt partum, ob nimis violenter ab obſtetricibus ſuſceptam extractionem ſecundinarum, ſaepe conqueruntur; variorum Auctorum, in vtramque partem hac de re prolatae, ſententiae; Auctoris Cl. attenta obſeruatio in arte obſtetricia exercenda, ei occaſionem praebuerunt, diſquirendi, vtrum ſecundinae arte ſint extrahendae, an earum expulſio naturae ſit committenda. Quae itaque propoſuit hac de re duabus diſſertationibus, breuiter nunc indicaturi ſumus.

In vteri fabricam inquirens, veterum et inpri- p. 5.
mis GALENI ſententiam de vteri fibris muſcularibus defendit Cl. Auctor, aſſeritque, vterum omnino eſſe muſcularis ſtructurae, indeque cauum appellat muſculum, BOERHAAVIO praeeunte, licet diſſentiant plerique recentiores, qui ſubſtantiam vteri pulpoſam, vel fungoſam, vel ſpongioſam eſſe contendunt. Per ſecundinas intelligit, membranas, fetum cingen- p. 9.
tes, placentam vterinam et funiculum vmbilicalem. Connectuntur ſecundinae cum vtero ita, vt ouulum in vteri cauitate per omnem grauiditatem firmetur, in partu vero ſeparetur, quae adhaeſio tam chorii, quam placentae ope, fit, quam forte ſurculi vaſorum, prominentiae, ſinus ſeu cauernulae, rugaeque vteri, a Cl. LEVRET criſtae dictae, iuuant; negat tamen cum Viris Cll. RUISCHIO, SMELLIE, ROEDERERO et LEVRETO horum vaſorum cum ipſis vaſis vteri anaſtomoſes. Progreditur nunc ad partus mecha- p. 16.
niſmum

niſmum declarandum, cauſſamque eius, conſentientibus plurimis phyſiologis, vteri irritabilitati fibrisque muſcularibus adſcribit. Qualiscunque itaque cauſſa ſit, quae vterum irritat, vera enim nos latet, ea efficit, vt vterus irritatus ſe contrahat, fundus vero et cervix, alterno modo agentes, omnia, quae inſunt, ex-
p. 17. pellant. Moleſtam ſenſationem, quam parturiens ſub doloribus ad partum percipit, non contractionibus fibrarum muſcularium, ſed potius reſiſtentiae, quae vtero in partu, vel a fetu, vel a placenta fit et neruorum in ipſa vteri ſubſtantia deliteſcentium
p. 19. compreſſioni tribuit. Cum vero interdum ſecundinae per aliquod tempus in vtero remaneant, firmiorem placentae adhaeſionem examinat: quod phaenomenon in duplex genus diſtinguit; et primo placentam accretam conſiderat Cl. Auctor, vbi, reiectis plurimorum ſententiis, SIMSONI cauſſam adhaeſionis pro vera habet, qui in ſeparatione placentae varios proceſſus, ex ſuperficie placentae in vteri ſinus intrantes, protraxit; additque debilitatem vteri interdum cauſſam retentionis ſecundinarum eſſe; deinde ad reſiſtentiam attendit, quae, ex variis cauſſis orta, impedit, quo minus placenta expelli poſſit,
p. 22. indeque ſaepiſſime artis auxilium poſtulet. His perpenſis, ad noxas, a placenta remanente metuendas, progreditur Noſter, quarum aliae a placenta, arctius adhaerente, aliae a ſoluta quidem, retenta tamen in vtero, producuntur. Incommoda primi generis ſunt, haemorrhagiae, impeditus lochiorum fluxus, atque putredo ipſius placentae; damna ſecundi generis ſunt, orificii vterini ſubitanea conſtrictio, quae tamen facile tolli poteſt; debilitas vteri, a contractionibus nimiis orta, quae orificio denuo dilatando non par eſt et inde expulſionem placentae impedit, vnde obturatio orificii et haemorrhagiae oriuntur, eo periculoſio-
p. 25. res, quo occultiores in ipſum vteri cauum fiunt. Cum

itaque

itaque placenta, in vtero retenta ac tam varia profert, incommoda, putarunt obſtetricantes, citiſſime ſecundinas poſt partum remouendas eſſe; ex quo quidem varii iterum morbi in parturientibus oriri ſolent; ſi inprimis nimis feſtinanter nimisque violenter extractio inſtituatur. Tunc enim facillime vel funiculum attrahendo, vel manu in vterum immiſſa, haud raro vterum inuertunt, qui, niſi ſtatim reponitur, cito inflammatur et in gangraenam abit; vel prolapſum vteri efficiunt; vel ſi loco placentae vterum arripiunt, facile ille laeditur et inflammatur, ſcirrhoſusque, vel carcinomaticus fit; feminae de inſigni dolore conqueruntur, atque ſaepe febres miliares, letales haemorrhagiae et mors ipſa oriuntur. Ex his concludit Cl. Auctor, hanc expulſionem potius naturae officio, niſi ſumma vrgeat neceſſitas, committendam eſſe.

XI.

Diſſertatio medico-chirurgica de vtero ſecundinas expellente. Auctore IO. CARL GEHLER, M. D. Reſp. *Carol. Aug. Seiler.* Sectio poſterior practica. Lipſ. 1767. 4. pl. 3½.

Poſtquam in priori huius diſſertationis ſectione Cl. Auctor nexum ſecundinarum cum vtero ita comparatum eſſe oſtenderit, vt vterus vi propria ſecundinas ob muſculoſam eius fabricam expellere non ſolum poſſit, ſed et, vt experientia teſtatur, quaeuis corpora peregrina expellere, ſumma vi nitatur, noxasque varias conſiderauit, quas placenta, in vtero relicta aut vi extracta, puerperis excitare poſſet, in altera ſectione nunc diſquirit ſententias variorum Auctorum, in vtramque partem prolatas, quid in quouis caſu

caſu ſuſcipiendum, quaenam methodus placentam extrahendi optima, et quid de medicamentis hic adhibendis ſentiendum ſit, exponens. Quod, quomodo tractauerit, breuiter indicabimus.

p. 5. Inter Auctores medii aeui, qui, arte placentam eſſe extrahendam, ſtatuerunt, praecipue nominat Cl. MAURICEAU et MOWBRAY, qui, antequam ligetur et abſcindatur funiculus vmbilicalis, ſecundinas eſſe extrahendas autumant, et Cl. DEVENTER, qui poſt abſciſſum funiculum ſtatim extrahere eas praecipit. Quibus ex noſtris varii, inprimis THEBESIUS, GÜNTZIUS et HARTRAMPTIUS aſſentiunt, excepto Auctore Cl., qui, non rudi et praematura encheireſi obſtetricum turbandum eſſe opus naturae putat, ſuffultus veterum et variorum recentiorum ſcriptorum ſententiis: confirmatusque multiplici hac in re experientia.

p. 8. Quamuis vero horum clariſſimorum virorum opiniones ſibi contrariari videantur, tamen eas inter
p. 12. ſe poſſe conciliari, oſtendit Noſter, dum probat, dari omnino ſigna, quae interdum absque mora ſecundinas eſſe remouendas indicent, in aliis vero partus ſpeciebus ſpontaneam earum expulſionem ſine vllo periculo eſſe expectandam. Vbi nempe vires vitae adhuc videmus ſuperſtites, quod ex contractionibus vteri poſt partum apparet; ibi certe expulſio ſecundinarum vtero relinquenda eſt, qua in re potiſſimum a b. HARTRAMPTIO differt Cl. Auctor, qui tunc arte expellendas eſſe eas, docet.

p. 15. Duo vero inprimis momenta conſiderat Noſter, quae extractionem earum, ab obſtetrice praeſtandam, requirunt: quorum primum eſt, quaeuis inſignior haemorrhagia, quae vel fetus excluſionem antecedit, vel comitatur, vel ſequitur: Alterum conſtituunt conuulſiui in partu motus, vel a plethora, vel a neruorum debilitate et irritatione pendentes,

tes. His addit quasdam encheireſes, quibus opus p. 19.
eſt, ne feminae ſub ipſa extractione laedantur. Conſiderat primo eam ſpeciem extractionis, quae fit funiculum trahendo, vbi, reiecta opinione variorum de duplici ligatura funiculi, vna tantum opus eſſe, ac eam methodum obſtetricibus etiam peritiſſimis interdicendam eſſe, cum maxima inde oriantur incommoda, demonſtrat. Commendat potius vbique, p. 20.
ſi ſpontanea expulſio expectari nequit, ſequentem methodum, a multis laudatam, qua manus in vterum, hiantem adhuc poſt partum, immittitur, digitisque inter placentam et vterum poſitis, huius cum iſta nexus leni encheireſi ſoluitur et tunc protrahitur; obſtetrices vero monet, ne vim in ipſa operatione adhibeant, cum exinde vterus laedi et feminae multa experiri incommoda poſſint. Addit va- p. 24.
rias cautiones, in operatione obſeruandas; nec a re alienum eſſe putauit, quaedam de abortiui fetus placenta, certe difficilius ſoluenda, diſputare: cuius difficultatis duas principes cauſſas conſiderat, anguſtiam ſcilicet vteri, inprimis ceruicis et teneritatem p. 26.
inſignem funiculi: rationem auxilii ferendi diuidit ſecundum duplicem modum, quo euenire ſolet abortus; alius cum haemorrhagia, alius ſine ea fit; in hac ſpecie naturae committenda eſt expulſio; in illa, methodo Cl. LEVRET, absque mora orificium vteri vno aut pluribus digitis aperiendum et placenta deglubenda eſt; ſi hoc ob ſtricturam difficile fit, LEVRETUS iniectiones emollientes ex aqua altheae, in qua pauxillum ardentis camphorae extinctum fuerit, RECOLINUS vero aquam ſimplicem, ſuadent. Forcipulae paruae LEVRETI pro arripienda placenta ex noſtri Auctoris ſententia digiti praeferendi ſunt. Quod medicamenta attinet, quae ad expellendam placentam a multis commendantur, p. 30.
plane reiicienda ſunt ea, quae a feminis ſuperſtitio-

ſis adhibentur, vt lapis aetites, talus leporinus cet. ac melius eſt, quaedam exhibere, quae ſpeciem potius medicamentorum habent; v. c. aquas deſtillatas pulegii, verbenae, cet. Specificis, ſecundinas pellentibus, cuius generis eſt borax, fidendum non eſt. Aromatica et ſpirituoſa, prudenter adhibenda ſunt, cum maxima ſanguinis profluuia excitant. Enemata, ex aqua tepida ſeu calida, nullis aliis additis pharmacis, ſuperant ea ex aceto, ſpiritu vini cet. parata. Summam vero antiſpaſmodicorum, vt caſtorei vel ipſius opii cum nitro vtilitatem laudat, ſi a medicis rationalibus pro cauſſae diuerſitate adhibeantur; id quod experientia Noſtrum docuit.

XII.

Alchymiſtiſche Briefe, von dem Verfaſſer der chymiſchen Verſuche zur nähern Erkänntniß des ungelöſchten Kalks etc. an den Herausgeber gegenwärtiger Briefe. Hannover, gedruckt bey H. E. C. Schlüter. 1767. 4. 8 *Bogen.*

h. e.

Litterae alchemicae, ab Auctore experimentorum chemicorum accuratiori calcis viuae cet. cognitioni inſeruientium, ad editorem harum litterarum.

Editor huius libelli, vt ex praefatione patet, eſt Cl. ANDREAE, pharmacopoeus Hanoueranus, qui, vt certo ſcimus, non ſolum in arte pharmaceutica, ſed et in re chemica exercitatiſſimus eſt et cum b. MEYERO eruditas de rebus chemicis communicavit litteras. Sex tantum hic legimus epiſtolas, ita tamen conſcriptas, vt nullo modo cum nugis plerorumque ſcriptorum alchemicorum comparandae, ſed potius magni omnino aeſtimandae ſint.

In

In epiſtola prima Cl. MEYER, Cl. CONSTANTINI, M. D. meminit, qui in oppidulo, *Melle* dicto, non procul ab Oſnabrugo, artem medicam dextre exercuit, inque arte chemica, teſte MEYERO, verſatiſſimus fuit. Laudatus iſte vir Cl. MEYERO proceſſum communicauit, in quo aurum per artem produci poſſe, oſtendit. Commiſcuit nimirum vnciam vnam boracis cum vnciis duabus et dimidia cremoris tartari, nec non cum decem vnciis aquae communis, factaeque ſolutioni vnciam vnam mercurii ſublimati corroſiui addidit. Tempore aliquod praeterlapſo, ſedimentum album, ex flocculis argentei nitoris conſtans, obtinuit, quod, per filtrum a ſuperſtite liquore ſeparatum, edulcoratum et ſiccatum, drachmas duas cum dimidia pulueris albi tenerrimi, argenteo nitore ſplendentis, dedit. Huius pulueris pauxillum, in cochleare argenteum proiectum, prunis impoſuit; quo facto, ſtatim fumus aſcendit, qui, afflante vento, ſuper totum cochleare ſe expandit, hocque colore aureo obduxit, qui tamen ope ſalis communis detergi ſe paſſus eſt. Poſthac plumbum in crucibulo fudit, fuſoque pauxillum dicti pulveris adiecit, ſicque copioſum ſtatim fumum, e crucibulo egredientem, animaduertit, pauloque poſt metallum adhuc fumans in laminam ferream calefactam effudit, ita tamen, vt in lamellam tenuiſſimam abiret plumbum. Metallo frigefacto, ſuperficiem eius, auro obductam, deprehendit et, poſtquam vltra triginta libras plumbi, ſecundum methodum deſcriptam auro obducendas, curauerat, omnes lamellas, auro obductas, abraſit, ſicque drachmam vnam cum dimidia auri optimi, per omnia examina probatiſſimi, obtinuit. Proceſſu hoc deſcripto, concludit demum Cl. CONSTANTINUS, 1) rem aliquam, quae ipſa tincta non ſit, tingere tamen poſſe; 2) rem maxime volatilem metallum fixum, vt aurum ſit, pro- p. 7.

ducere poſſe; 3) acidum ſalis communis, mercurio ſublimato inhaerens, plurimum ad rem contuliſſe.

p. 13. In epiſtola ſecunda primo Cl. MEYER compoſitionem cremoris tartari cum borace conſiderat. Notat nimirum, duo haec ſalia, coniuncta ſi ſint, a parua portione aquae ſolui, cum tamen alteruter eorum multam aquam ad ſui ſolutionem requireret: cuius rei cauſſam ſali ſedatiuo boracis adſcribit Noſter. Oſtendit deinde, ſolutionem dictorum ſalium, qui alias, ſi ſolitarie exiſtant, pari modo, vt alcali minerale et ſal ſedatiuum, cryſtalliſationem amant, omnem hic cryſtalliſationem reſpuere, potiusque per euaporationem ſyrupi, immo terebinthinae vetuſtioris, conſiſtentiam acquirere. Notat porro, ſalem ſedatiuum, qui alias ope acidi cuiusuis facile ex borace ſeparetur, nullum hic apparere, ſed dictis ſalibus immixtum manere. Tandem miratur, cur dictus liquor ſaporis tam acidi ſit. Licet enim acidus eiuſdem ſapor a ſuperpondio additi cremoris tartari prouenire videatur, hoc tamen Noſtro notatu dignum videtur, cremorem tartari, copioſe additum, ſolutum manere, nec, vt alias fieri ſolet, a frigefacta ſolutione ſeparari. His praemiſſis, ad praeparationem dicti pulueris CONSTANTINI accedit Cl. Auctor. Cum autem perpenderet, 1) vix metallum calefactum per adiectum puluerem, dum euaporet, ſed potius mercurium, pulueri illi immixtum, in aurum mutari, aque dicto metallo ſuſcipi; 2) hancque tranſmutationem puris iſtis, in cremore tartari deprehendendis, particulis lucis ſeu ignis adſcribendam eſſe; 3) et boracem forſan cum ſale ſuo ſedatiuo neceſſarium non eſſe, quadruplici modo praeparationem dicti pulueris inſtituit. Primam nimirum praeparationem eodem modo, vt Cl. CONSTANTINI; alteram cum ſale SEIGNETTE et mercurio ſublimato corroſiuo abſque borace; tertiam cum tartaro tartariſato

riſato et mercurio corroſiuo et quartam cum terra quadam foliata tartari cryſtalliſata, ex cryſtallis ſodae et aceto deſtillato parata, inſtituit. De prima praeparatione notat Cl. Auctor, per euaporationem ſubinde factam ſeſe demum liquorem ſpiſſum, ſubque eo ſedimentum illud puluerulentum nitens, ſupra memoratum, obtinuiſſe.

In epiſtola tertia compoſitio mercurii ſublimati corroſiui cum ſale SEIGNETTE, nec non ea, quam cum mercurio ſublimato corroſiuo et tartaro tartariſato Noſter inſtituit, deſcribitur. Quod ad priorem attinet, vncias quatuor ſalis SEIGNETTE cum decem vnciis aquae calidae commiſcuit Cl. Auctor, poſthaec autem liquori frigefacto vnciam vnam mercurii corroſiui puluериſati addidit. Solutione facta, liquor colatus, ſtatim poſt percolationem flocculos aliquos nitentes, diebus autem aliquot praeterlapſis, multo plures vna cum ſale cryſtalliſato praebuit, a quo per affuſam aquam flocculos adhaerentes ſeparauit. Tandem per repetitam euaporationem, diluitionem et colationem, puluerem, margaritarum nitore praeditum, pondere ſex drachmarum obtinuit, poſtquam vnciis quatuor tartari tartariſati, cum decem vnciis aquae calidae commixtis, vnciam vnam mercurii ſublimati corroſiui addiderat, ſimilemque laborem, vt cum praecedente, ſuſceperat. Proceſſu hoc deſcripto, demum notat, primum flocculos illos nitentes, ſecundum primum proceſſum obtentos, omnium minimos, per ſalem SEIGNETTE productos maiores et per tartarum tartariſatum generatos maximos fuiſſe; deinde ſeparationem pulueris in primo proceſſu tardiſſimam, in ſecundo citiorem, in tertio citiſſimam, immo in hoc accuratiſſimam et perfectiſſimam, plurimumque pulverem obtentum fuiſſe. Ex his colligit, memoratum puluerem nihil aliud eſſe, quam mercurium p. 20.

cum tartaro coniunctum, ita, vt praecipitato huic mercurii tartarisati nomen imponi posset. Colligit quoque, neque boracem, neque alcali minerale ad obtinendum illud praecipitatum necessarium esse.

p. 27. In epistola quarta compositionem mercurii sublimati corrosiui cum arcano tartari crystallisato communicat Cl. Auctor. Arcani huius tartari, ex sale sodae depurato et aceto destillato praeparati, vnciam vnam cum vncia dimidia mercurii sublimati corrosiui et vnciis quinque aquae calidae commiscuit. Solutione facta, faeces ex flauo cinereae subque his paucae quaedam particulae ponderosae et nigrae fundum petierunt, quae, a puluere flauescente separatae, grana tria ponderarunt. Liquorem superstitem posthac colauit, colatumque destillationi subiecit, sicque in excipulo aquam, acetum valde penetrans et spiritum acido-oleosum valde penetrantem, in collo vasis flores albos et mercurium vivum inque fundo vasis residuum nigrum obtinuit, quae cuncta, aqua edulcorata et per colum traiecta, puluerem reliquerunt, qui exsiccatus, pondere grana duodecim aequauit. Lixiuium inde obtentum et lente euaporatum, post aliquot dies crystallos salinas quinquangulares dedit, residuus autem liquor, rite disquisitus, non nisi liquorem terrae foliatae tartari, praebuit. Miratur itaque Noster, cur hoc arcanum tartari, quod tamen ignis torturam passum est, non mutatum fuerit; quare colligit, dictum arcanum tartari purius multo, subtilius et fixius esse vulgari arcano tartari, nec quidquam, nisi partes subtiliores et fixiores relictas, continere. Productis his examinatis, supra memoratas particulas illas nigras, statim post solutionem praecipitatas calcinationi subiecit, sicque duo tantum grana, vno amisso, obtinuit, quorum alterum cum borace, super pruna ardente, fusum vitrum coloris smaragdini cum subtus adhae-

rente

rente globulo metallico dedit, alterum autem, absque additamento fusum, aliquos globulos metallicos exhibuit, qui in lapide lydio disquisiti, strias cupri, cum argento mixti, colori similes ostenderunt.

In epistola quinta Cl. Auctor experimenta re- p. 38.
censet, quae cum memoratis pulueribus ad producendum aurum instituit. Pulueres nimirum tingentes in cochlearibus argenteis super prunis euaporationi exposuit, sicque cochlearia deaurata obtinuit. Deinde drachmam dimidiam pulueris tingentis in crucibulum indidit, eique fila argentea subtilissima imposuit; alio crucibulo inuerso, posthac bene agglutinato et paruo foramine in eo relicto, crucibulum igni tradidit. Operatione finita, argentum non mutatum subque eo puluerem nigrum inertem, in superiori vero crucibulo rorem mercurialem reperit, qui collectus inque cochleari argenteo euaporatus, hoc interne et externe deaurauit. Porro drachmas duas pulueris istius tingentis, in retortam inditi, destillationi subiecit, sicque drachmam vnam mercurii viui obtinuit, qui cochleare argenteum super prunis deaurauit, simulque maculas aliquas elevatas reliquit. Affusa tunc aqua regis, has non solum soluit, sed etiam colorem illum aureum, quo cochleare obductum fuit, deleuit. Tandem mercurium illum, per destillationem obtentum, cum argento foliato commiscuit et amalgama, linimenti consistentia, colore cinereo praeditum obtinuit. Amalgama hoc, in cochleare ferreo super prunis euaporatum, massam albam nitentem reliquit, quae, a spiritu nitri affuso soluta, faeces nigras in fundo vasis exhibuit.

In epistola sexta theoriam processus, a Cl. CON- p. 46.
STANTINO communicati, tradit Cl. Auctor. Metalla nimirum tanquam corpora considerat, quae ex multis particulis lucis, maiori minoriue copia aquae,

maiori minoriue copia terrae et ea acidi pinguis copia, quae ad coniungenda reliqua elementa necessaria est, constant. Materiam lucis, metallis inhaerentem, 1) ex eo, quod aquae coniunctionem respuant; 2) ex coloribus, quos vario modo ostendunt; 3) ex splendore, quem vel minima luce praesente reflectunt; 4) ex maiori minoriue fixitate; 5) ex incalescentia, quam per triturationem vel percussionem acquirunt; 6) ex reductione calcium metallorum imperfectorum vel semimetallorum; 7) ex densitate et pondere probare annititur. Inter omnes has proprietates densitatem hic et pondus inprimis considerat Cl. Auctor. Densitas corporum a paruitate particularum constituentium et inde pendente contiguitate proficisci dicitur. Corpora igitur, quorum particulae minimae maximam copiam elementi ignis continent, cuius particulae respectu particularum reliquorum elementorum subtilissimae sunt, pro densissimis habentur. Cum vero materia lucis elementum subtilissimum sit, atque particulae metallorum prae reliquis maximam copiam lucis contineant, partes eorum, quam proxime sibi inuicem adiacere, indeque densitatem metallorum in aggregato pendere, patet. Cum etiam densissima corpora inter omnia poros minimos habeant, eadem idcirco omnium ponderosissima sunt. Itaque metalla omnium ponderosissima sunt, quod maximam partem ex elemento subtilissimo, luce nimirum, constant et eandem ob caussam poros minimos habent. Densitas tamen et pondus metallorum variat, cuius rei causam Noster in sola lucis quantitate quaerit. Sic ex Eius sententia aurum omnium corporum densissimum et ponderosissimum est, quod inter omnia corpora plurimam lucem continet. Mercurius, vt putat Noster, minorem lucis copiam habet, hinc quartam quoque partem auro leuior est; plum-

bum

bum vero tertiam partem et argentum, partem dimidiam auro leuius, dicitur. Itaque metalla, auro minus denſa minusque ponderoſa, pauciores particulas lucis purioris continere, Noſter colligit. Metalla enim, auro leuiora, in mixtione ſua vel tantum purae lucis copiam, vt aurum, non continere, vel praeter lucem aliud adhuc varie compoſitum phlogiſton, pura auri luce minus ſubtile, fouere, putat. Aurum enim puram lucis materiam, nec antea generatum phlogiſton et reliquorum elementorum, acidi pinguis nimirum et aquae, eam copiam, quae ad coniunctionem particularum lucis neceſſaria fuerit, continere, Cl. Auctori videtur.

Mercurius, vt putat Cl. Auctor, quoad indolem et naturam atque inde pendentes qualitates magnam alit cum auro ſimilitudinem, quocum maiorem affinitatem, quam argentum habet. Pari enim modo, vt aurum, prae reliquis metallis plurimum lucis continet. Hinc aurum reſpectu denſitatis et ponderis proxime ſequitur; inde etiam aeque ac aurum tam difficulter deſtrui poteſt. Differt tamen ab auro 1) quod maiorem copiam aquae, quam aurum in mixtione foueat; quam ob rem volatilis et fluidus eſt; 2) quod maiorem copiam acidi pinguis ad firmandam partium ſuarum cohaeſionem habeat, quam aurum; 3) quod praeter puram lucis materiam ſubtile phlogiſton, ante generationem ſuam productum, habeat; 4) quod ex particulis lucis minus ſubtilibus, iisdemque pluribus indolis diuerſae, quam aurum conſtet, ſiquidem Noſter cum Cl. NEWTON ſtatuit, lucis particulas non ſolum ratione colorum diuerſorum, ſed etiam ratione minoris maiorisue ſubtilitatis homogeneas non eſſe. p. 56.

His expoſitis, quaeſtionem mouet Cl. Auctor, quid faciendum ſit, ſi quando mercurius in metallum nobilius, aurum nimirum, transmutari debeat? p. 59.

Suadet itaque, ſuperfluas eiuſdem partes aquoſas ſubducere, quo lucis particulae, in eodem connexae, non ſolum propius denſiusque ad ſe inuicem accedant, ſed etiam eaedem per ſubtiliſſimas particulas introductas augeantur. Id, quod neque per deſtillationem repetitam, neque etiam per ſolutionem in ſalibus acidis vel alcalinis, ſed per ſubtile quoddam igneum, luce plenum mixtum, quod parum aquae contineat, mercurium reſpectu particularum lucis aggrediatur, cumque iiſdem ita coniungi poſſit, vt particulae eius aqueae et nonnullae phlogiſticae ex eo ſeparentur, locumque earum ſubtiliſſimae lucis particulae impleant, praeſtandum eſſe, aſſerit. Tale quid forſan in proceſſu, cum Cl. CONSTANTINO communicato, per compoſitionem aliquam luce plenam, in tartaro vel iam praeſentem, vel per coniunctionem eiuſdem cum mercurio ſublimato corroſiuo et ſale alcalino producendam fieri, eandemque tantae ſubtilitatis eſſe, vt cum particulis lucis mercurii coniungi ſe patiatur, autumat.

XIII.

D. IOH. GOTTLIEB GLEDITSCH *vermiſchte Bemerkungen aus der Arzneywiſſenſchaft, Kräuterlehre und Oeconomie. Erſter Theil. Leipzig* 1768. *bey Ioh. Friedr. Hartknoch, Buchhändler in Riga und Mietau.* 8. 16½ *Bogen mit einer Kupfert.*

i. e.

Obſeruationes variae ex medicina, botanica et oeconomia, auctore Cl. GLEDITSCHIO. Tomus primus.

Prima tractatio, quae iam actis Academiae regiae ſcientiarum Berolinenſis inſerta eſt *), *noua experi-*

*) Hiſt. de l' Acad. royale des ſciences et belles lettres, à Berlin, année 1765. p. 12 ſqq.

perimenta phyſica ſiſtit *de motu vegetabilium externo, eorumque a directione perpendiculari verſus horizontem declinatione.* Vulgarem iſtam experientiam curatius examinauit Cl. Auctor et inſtrumento quodam, ad hos vſus adaptato, mutationes, quas in heliantho annuo vidit, determinauit, quas prolixiſſime recenſet. Eſt autem inſtrumentum hoc, quod phytoclinometrum dicit, nihil niſi illud, quo angulos metiri ſolemus, gallico idiomate *Tranſporteur* vocatum, quod pedi inſiſtit, in tria crura deſinenti, inter quae vas, plantam continens, collocatur. Ipſum inſtrumentum ſurſum deorſumque moueri et, adhibita trochlea, firmari poteſt, et in medio indicem habet circa axin, ex chalybe polito confectam, mobilem, qui vero ſuperficiem ipſius inſtrumenti non attingit: index hic, in ſitu perpendiculari conſtitutus, in extremo ſuo bacillum rotundum ac firmum horizontaliter affixum habet, qui, dum ad plantam, diuerſimode motam, alliditur, indicem ipſum mouet, qui hac ratione gradus in inſtrumento indicat. Ex icone addita deſcriptio magis explicatur. p. 42.

Secunda tractatio, *noua ſupplementa ad hiſtoriam morbi maligni epidemici boum in Marchia Brandenburgica* exhibet. Cl. Auctor eum, iam ab anno huius ſeculi vndecimo ſparſim huc illucue graſſatum, a viginti iam annis ex mandato regio diſquiſiuit, ideoque enarratis iis ſcriptis, quae cum fructu quodam de eo legi poſſunt, primo, quid ſectiones cadauerum monſtrauerint, edocet, ex quibus ſigna corruptionis putridae tam ſolidarum, quam fluidarum partium in genere patebant, praeſertim in canali alimentorum. Magis autem inſtruebant ſectiones eorum animalium, quae morti iam proxima erant. His praemiſſis, ad ipſam morbi deſcriptionem progreditur Cl. Auctor. Cauſſa eſt in contagio halituoſo, quocumque modo p. 45. p. 64.

modo ſeu ab animalibus, morbo laborantibus, ſeu
eorum exhalationibus, ſeu ab eorum partibus, ſeu
ab hominibus, qui horum curam habuerunt, com-
p. 67. municato. Contagium ſuſceptum inſolita triſtitia
et languor, accedente paullo poſt febrili impetu, pro-
dunt, quem in grauiore caſu effluxus materiae mu-
coſae et ichoroſae, ex ore naribusque, frequenter ſan-
guine remiſtae, ſequitur, quae maxime corroſiuae
indolis eſt. Febre creſcente, accedunt tormina ven-
tris et obſtructio, quam diarrhoea, vere dyſenteria
vocanda, varii generis excipit. Haec ſigna quidem
p. 73. coniuncta morbum noſtrum ſiſtunt: communiſſi-
mum autem et veluti pathognomonicum eſt inflamma-
tio et exulceratio linguae. Morbus grauiſſimus ad
tertium quartumue diem extenditur: ſeptimum nul-
lum animal aegrotum viuendo ſuperauit. Abortus
vel ante vel paullo poſt eruptionem morbi multa
ſeruauit, quod tamen non abſque cautione aſſumen-
dum eſſe monetur. Symptomata minus frequentia
fuerunt efflorescentiae cutaneae, tumores in colli
pectorisque regione et vlcuſcula maligna circa anum.
p. 74. Morbus iunioribus et robuſtioribus maxime infeſtus
eſt, non aeque macilentis et aetate prouectioribus.
Examen phaenomenorum morbi potiſſimum eius
malignitatem declarat, dum contagium virulentum
fluida, bilem potiſſimum, celerrime inficit et in pu-
tredinem conuertit, vires deiicit et ſolida ipſa de-
ſtruit. Bilis, putrida reddita, canalem inteſtinorum
p. 78. ſollicitat, eidemque gangraenam inducit. His ergo
patefit, morbum hunc peculiarem eſſe ſpeciem fe-
bris inflammatoriae malignae contagioſae, neque im-
merito peſtem bouillam dici, quod prolixe poſtea
euincitur et multa vbique monita, oeconomis vtiliſſi-
ma, inſperguntur, quae paſturam boum, eorum ab
exteris coëmendi rationem cet. concernunt. Dili-
gentiſſime enim cauendum eſt, ne hoc modo conta-

gium

gium deliteſcens in noſtras regiones inferatur. Pecu- p. 106.
liaris in eo eſt contagii ratio, quod neque cum vllo alio animantium genere, neque cum hominibus communicetur, quod multi crediderunt. Quod ad curatio- p. 114.
nem ſpectat, ea difficillima eſt vel plane nulla, niſi morbus ipſe in principio ſupprimi queat. Simulac enim febris ingreſſa fuerit, inflammatio inteſtina occludit et gangraenam efficit. Quamprimum igitur morbi initia ſe produnt, diaphoreticis lenioribus et acidis vtendum eſt, hisque externe maſticatoria, ſetacea, cauteria, iungenda ſunt, quamquam poſteriora, prophylactice magis, quam curatorie adhibita, vſum praeſtant. Venaeſectio, niſi larga fuerit et in animalibus iunioribus et robuſtioribus ſub ipſum morbi principium adminiſtrata, vſu caret. Purgantia fortiora, tantis ab aliis laudibus euecta, nocent: pinguia, oleoſa, mucilaginoſa, ſi ante obſtructionem adhibeantur, eamdem praecauent; ceteroquin inutilia ſunt, eo tantum excepto, quod in forma clyſterum applicata, ſaltim dolores mitigent. Adſtringentia omnia aliena ſunt. Ad ſuſtentandam diaphoreſin praecipue ſtabulorum et ſtraminis animalibus ſubſternendi curioſior ratio habenda eſt. Medicamenta calidiora aromatica et alexipharmaca, ne ipſa quidem camphora excepta, nihil praeſtant; ſed ſi quis locus medicamentis detur, ea acida ſint vel acidula, copioſe adhibenda, vt vitriolum martis aut eius ſpiritus, aut oxymel quoddam ſimplex, cum rob ſambuci miſtum, addito nonnunquam oleo lini vel oliuarum. Acetum reliquis acidis vegetabilibus palmam praeripit. Vlcera maligna linguae decocto plantarum p. 131.
aromaticarum acrium et aromaticarum, cum aceto parato adiunctoque ſale communi, crebro fricanda ſunt, quod etiam in ſuſpectis animalibus praecautionis cauſſa fieri oportet: poſtmodum autem decoctis mucilaginoſis fauces et lingua elui debent. Setacea

et

p. 132. et cauteria, antequam infectio et ſtagnatio humo-
rum praeualuerint, egregii vſus ſunt et omnino ve-
ſicatoriis praeferenda. His expoſitis, cenſura alio-
p. 133. rum remediorum ſubiungitur, potiſſimum inocula-
tionis, quae autem dubio fundamento innititur, dum
morbus ipſe pecoribus aeque commnuis iudicatur, ac
variolae hominibus. Reliqua auxiliorum genera vel
ſuperſtitioſa ſunt, vel ob agendi modum huic morbo
minus conueniunt, aut eidem tollendo imparia de-
prehenduntur: ad curam prophylacticam autem
omnino commendari et poſſunt et debent, vbi Cl.
Auctor prolixus eſt in dandis cautelis, quae eorum
p. 142. vſum ſpectant. Vltimo loco monita vtiliſſima, de
cura in remouendis animalibus demortuis et de ob-
ſeruandis iis, quae, durante epidemia, a magiſtratibus
peragenda ſunt et quomodo animalia conualeſcentia
tractari debeant, adduntur.

p. 155. Tertia tractatio *cogitata de nonnullis veſtigiis ſimilitudinis inter animalia et vegetabilia*, complectitur quae ſimili vt praecedentes modo actis dictae ſocietatis inſerta eſt *) et cuius recenſionem alio in loco Lectoribus noſtris exhibuimus **).

p. 180. Quarta *relationem de ſolita cultura draconis arboris in hortis Germaniae ſeptentrionalis* exhibet. Arbor haec, a botanicis olim *aſparago* annumerata, nuper autem accuratius obſeruatis a VANDELLIO floribus, ad recens ſtabilitum *dracaenae* genus a LINNAEO amandata, ratione habitus et modi creſcendi ad palmas proxime accedit. Iunior quam maxime ſucculenta eſt et textura molliori ſpongioſa gaudet, hinc facile perit, ſi baculo fortius percutiatur: frequentior autem interitus eius nimiae humiditati, circa

*) Année 1757. p. 89 ſqq.
**) Vid. Commentar. horum Vol. VIII. p. 635.

circa radices collectae, adſcribi debet, autumnali praeſertim tempore. Apex trunci itidem facile cor- p. 187.
rumpitur, tumque prope vel infra illum rami non-
nulli trunco ipſi ſimiles oriuntur, qui ſucceſſu tem-
poris rurſus in ſimiles minores diuiduntur; quod
tamen, antequam fiat, multum temporis requirit.
Cum ſemina huius plantae apud nos non exſtent,
opus eſt, vt iuniores arbores ex exteris regionibus
aduehantur, quod quidem peculiaribus in ciſtulis p. 191.
fieri debet, arbuſculis ipſis ſtupa et pannis rudiori-
bus (*Werg und Flanell*) probe munitis, vt ſitum
commodum ſeruent. Forte tamen in earum cura
caute nimis agitur, cum conſtet, plura arborum ge-
nera, abſque detrimento diutius aëri liberiori expoſi-
ta, relinqui, quin ramificationum radicis iacturam
ferre poſſe, dummodo ipſa ſubſtantia eius illaeſa per-
ſiſtat. Arbuſcula ipſa poſtea in ciſtam, paullum tan-
tummodo radice ampliorem, immittenda eſt, cuius
fundum arena groſſior fluuiatilis obtegat, cui hu-
mus bonae indolis ſuperimponenda eſt, irrigationis
etiam iuſta ratio habenda, eaque, inclinante aeſtate,
ſenſim imminuenda, vt verſus hyemem tandem pe-
nitus ceſſet. Inſigne vitium in neglecta arboris p. 194.
tranſpoſitione poſitum eſt, vnde fit, vt radices tan-
dem, ſitu tactae, corrumpantur: harum autem tene-
ris fibris putredine affectis, corruptio ſuccorum ce-
lerrime ope ſpongioſi corticis cum tota arbore com-
municatur, quae tamen interdum ex hoc periculo
euadit, atque, vti iam dictum eſt, deſtructo trunci
apice in protruſis ramis lateralibus reuiuiſcit. Hoc
tamen ancipiti in caſu cultro vtendum et vſque in
partem ſanam incidendum eſt, quo corrupta ſepa-
rentur et a diſciſſis canaliculorum orificiis medulla-
que, denſus callus formetur. Vbi ſucci nimia copia p. 197.
poſt inciſionem effluit, inciſura ad pollicis altitudi-
nem creta, in ſubtiliſſimum puluerem redacta, ope-

rienda,

rienda, haecque cineribus calidis in vaſe conuenien-
te obtegenda eſt: quod vbi non ſuffecerit et ſuccus
ſub indurata nonnihil ſuperficie nimia quantitate
collectus fuerit, inciſione iterata, ferrum candens ap-
plicari oportet, continuato ſimul cretae cinerumque
p. 198. vſu. Tum truncus, panno aſperiori obuolutus, e ter-
ra eximitur et, depuratis radicibus, in hibernaculo
ope duorum lororum latorum, ex corio confectorum,
ſuſpenſus, relinquitur, donec ſatis exſiccatus recenti
ciſtae, vt prius dictum fuit, immittatur, vbi tamen
iterum gradus caloris, ſitus verſus ſolem, irrigationis
et ſimilium curioſe rationem haberi oportet.

p. 201. Tractatio quinta *praemonita de emendanda cura generatim in colligendis plantis officinalibus, in commodum publicum dirigenda*, ſiſtit. Verum omnino eſt, licet medicus indolem morbi optime cognitam perſpectamque habeat; licet, quibus vtendum ſit remediis, optime norit: illum tamen nihil profecturum eſſe, ſi ea ipſa remedia peruerſae indolis et conditionis
p. 204. fuerint. Quare primo loco ſuadet Auctor, eo reſpiciendum eſſe, vt quaeuis regio ſuorum ipſius productorum primariam curam habeat et extera potius maximam partem negligat. Quaeritur autem, cuinam illorum collectio committenda ſit? omnibus quidem medicis officium hoc incumbit, at iis prae reliquis, qui publicam ſanitatis ciuium curam gerunt et pharmacopoeorum hac in re labores dirigere debent. Hi vero aliis, herbariis, rhizotomis et ſimili-
p. 210. bus vtuntur: quantus autem in his omnibus vbique fere abuſus irrepſerit, dilucide monſtratur. Officium nimirum herbarii adeo leue vel vile habendum non eſt, quam vulgo putatur, dum faex hominum illud ſubit, cuius vel ignorantiae vel auaritiae poenas mi-
p. 216. ſeri poſtmodum aegroti luunt: ſed requiritur homo ingenuus, diligens, docilis, ordini deditus, corpore laboribus

laboribus et viciſſitudinibus tempeſtatum tolerandis apto, a pueritia inſtruendus et ad obſeruandas quasvis plantarum a diverſis, quae in eas agunt, cauſſis, mutationes aſſuefaciendus. Haec imago perſonam herbarii tamquam maxime vtilem et neceſſariam ad ſanitatem ciuium curandam ſiſtit, nobisque eam erga illum venerationem imperat, qua CRATEVAM proſequutus eſt HIPPOCRATES. Suadetur etiam, vt eiuſmodi homines ſacramento publice praeſtando ad alacritatem, diligentiam et ſinceritatem in hoc officiorum genere ſeruandam adſtringantur. Prout autem hoc illoue tempore plantae integrae vel diverſae earum partes ſub hac vel illa conditione in vſus medicos colliguntur, horum omnium, quantum p. 223. ad propoſitum finem ſpectat, et quae vnicuique bonitatis aut vitii notae inſint, notitia ab herbario requiritur. Opus eſt praeterea, vt mutationes, quas aut ſoli diuerſitas, aut varia anni tempora ſtatusque ipſius plantae vel iunioris vel adultae demum producat, probe intelligat, quod Cl. Auctor variis exemplis in genere declarat, et denique culturam plan- p. 229. tarum officinalium exoticarum quidem, aſt in aliis germanicae noſtrae patriae prouinciis ſponte naſcentium, commendat, ſicque proluſioni huic finem imponit, qua ad ampliorem et ſpecialiorem ſuper hoc argumento tractationem ſibi viam parare allaborauit.

XIV.

Tal, om Svenſka Ång-ſkötſeln, och deſs främjande genom lönande Gräs-ſlag; hållet för köngl. Vetenſkaps Academien, vid Præſidii nedläggande, den 26 april 1769, af BENGT BERGIUS, Banco-Commiſſarius, Ledamot af kongl. Norſka Vetenſkaps Societeten i Trundhem och kongl. Oeconomiſka Societeten i Zelle. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius, 1769. 8 mai. pgg. 98.

h. e.

Sermo de cultura pratorum in Suecia, eiusque per plantas pabulares incrementis habitus coram Academia regia ſcientiarum, quum Praeſidis munere decederet, a BENGTIO BERGIO.

Initio commentationis in vſu, qui ex pratis redundat, deſcribendo Cl. Auctor occupatus, ciuesque ſuos nominatim multis argumentis excitat, vt eorumdem culturam magis ſibi commendatam habeant. Singularem vero induſtriam et multarum
p. 9. aliarum rerum cognitionem requirere oſtendit. Noſſe ſcilicet oportet varia terrarum genera earumdemque miſcelam, nomina ſtirpium pratis idonearum, naturam, efficaciam, porro, quae cuilibet pecorum generi maxime conueniant, et quas quodlibet clima optime ferat.

De neglectu in his ſubſidiis hinc inde in patria ſua percepto queritur Noſter, culpatque inter alia, pecora ſaepe intempeſtiue vel mox poſt foeniſecium vel humore nimis emollita terra pratis admitti, vnde radices calcando deſtruuntur; foenum

nimis

nimis mature ſecari, antequam ſemina maturauerint; vel radicibus iuſto propius abſcindi, vel has ab abſciſſo gramine nimis cito nudari, vnde ſolis vi comburuntur cet. Interim nouit quosdam Sueciae tractus, vbi, vitatis his vitiis, prata optime vigent.

His praemiſſis, iudicat, quomodo variis defe- p. 16.
ctibus pratorum naturalium ſuccurri poſſit; quibus vero, quando ſolum iſtis non fauet, artificialia, quae ex vnico ſtirpium genere conſtant, ſubſtituuntur. In perennium numero praeter *medicaginem ſatiuam*, *hedyſarum onobrychidem* et *trifolium pratenſe*, vix aliae in hunc finem tentatae, excepta *geniſta ſpartio* maiori breuioribus et longioribus aculeis TOURN. et *poterio ſanguiſorba*. Annuarum et biennium vero p. 22.
longe maior numerus eſt, quarum quaedam ob herbam, alia radicum cauſſa coluntur. Herbae cauſſae varietates *braſſicae oleraceae*, *piſum aruenſe fructu albo* C. B. *vicia ſatiua*, *braſſica napus*, *ſpergula aruenſis*, *zea mays*, *ſecale cereale rel.* ſeruntur. In *ſolano tuberoſo*, *raphano ſatiuo*, *dauco carota*, *paſtinaca ſatiua* etc. radix inprimis pabulum pecori ſubminiſtrat.

Dictis autem exiſtimat Noſter multas alias in- p. 28.
digenas ſuppares eſſe, *medicaginis falcatae*, *trifolii hybridi*, *montani et meliloti*, *lathyrorum* omnium, praecipue *pratenſis*, *viciarum variarum*, *anthyllis vulnerariae*, *melampyrorum* rel. exemplis.

Haec omnia tamen ſalubritate et lucri vber- p. 34.
tate ſuperant gramina. Vnde his inprimis Cl. Auctor inhaeret et inter praecipua recenſet *phleum pratenſe*, *timothy-graſs*, *auenam elatiorem*, *fromental*, *dactylidem glomeratam*, *orchard-graſs*, *poam aquaticam*, *alopecurum pratenſem*, *bromum giganteum*, *airam ceſpitoſam*, *lolium perenne*, *ray-graſs*, *feſtucam elatiorem*, *holcum lanatum*, *agroſtidem arundinaceam*, *triticum repens*, quorum omnium inſtitutis experimentis

virtus conſtitit et ab his coniecturis ad alia commendanda procedit. Ita vero de iis in vniuerſum agit, vt naturam ſingularem, colendi optimum modum et Auctorum teſtimonia, citatis vbiuis iconibus, exponat.

p. 72. Minus fauet Cl. Auctor paſcuis, nec eadem concedit, niſi locis, pratis agrisque ineptis. Et antequam artificialia prata fuerint parata, ſuadet, vt pecora in ſtabulis nutriantur, et per binas modo horas quotidie emittantur; quod ipſum et ſtercori ſeruando inſeruit.

Plura de eximio hoc libello in medium proferre, vtpote oeconomici praecipue argumenti, non licet, quem vero omittere ob eximiam rei herbariae notitiam in oeconomo alias rariorem, et experientiam longo vſu acquiſitam, nefas duximus.

XV.

IOANNIS VIVENTII, Nolani Phil. et Med. D. de cicuta commentarius. Neapoli 1767. 8. excud. Donatus Campo. pgg. 76. cum dedicatione.

p. 8. Ex iis, quae Cl. Auctor multo cum ſtudio huic tractationi praemiſit, et ad vim vocis cicutae eiusque hiſtoriam, ab antiquiſſimis temporibus inceptam, et virtutem medicam in multis morbis pertinent, fuiſſe vſque ad annum Chriſti quinquageſimum ſextum medicos aliosque, qui non ſolum cicutam pro veneno non habuerunt, ſed etiam eam interne adhibuerunt, nec non ab eodem Chriſti anno inualuiſſe inter Auctores opinionem de venenata cicutae vi, credulae inde poſteritati relictam, nec minus eos, cicutam, qui eam inter venena retulerunt, interne exhibuiſſe, poſtmodum medicos fuiſſe, qui, ſpretis veterum

veterum auctoritate, in morbis desperatissimis illius vsum prosperrimo cum successu laudarunt, ac omnino veteres interdum cicutae vsum perquam commendasse, luculenter patet.

Quibus ex antiquissimis temporibus assidue de- p. 45.
monstratis et vera cicutae specie descripta, ante, quam ad morborum enarrationem progreditur, nonnulla Noster, quanam ratione cicuta in morbos agat, proponit. Fuerunt, qui eius vim vel per ammoniacalem salem, vel per oleum, ex libris quinque foliorum et caulium tenerorum elicitum, explicarint, contra aliis, vt MAXIMIL. LOCHERO, eius vires a salis, qui partim in sal alcali volatile, partim in fixum potentia ignis mutari potest, pendere videbantur quantitate. Sed licet Cl. Auctor summam resoluentem, anodynam et antiputredinosam vim cicutae tribuit, nullo tamen modo eos effectus explicari posse per experimenta chemica credit, et in specifica cicutae virtute pariter, ac in vi corticis Peruuiani specifica, febres debellante, acquiescit. Frustra enim vera corporum principia per analysin quaeri cum aliis affirmat atque exemplis illustrat.

Quo facto, ad alteram huius commentarii par- p. 49.
tem venit, quae morbos, ope cicutae curatos, complectitur. Initium faciamus cum Nostro a morbis pectoris, ac primum quidem a phthisi pulmonali. Aegrota viginti quinque annorum per quinquennium rheumaticis laborabat doloribus, vocem raucam cum laesa deglutitione, tussim siccam, noctis inquietudines, dolorem et pondus in dextro latere sentiebat. Paullo post tussis humida reddebatur et noctu aliquando cum tussi vncias circiter decem seri albi, fluidi, spumosi, oui conquassati albuminis instar, euomuit sine ponderis et doloris imminutione, cuius dein copia ad libram vnam et dimidiam creuit. Tum,

 exhibitis

exhibitis pilulis pectoralibus MORTONI cum aethiope minerali, ex larga plaga, vbi ponderis erat ſenſus, orta et per menſem aperta, multum ichoris effluebat, expectoratione tamen vſque ad tres libras aucta. Huic aegrae in hac pulmonali phthiſi cicutae extractum tam felici ſucceſſu dedit Cl. VIVENTIUS, vt, finito propemodum ſecundo menſe, totus morbus cum omnibus ſymptomatibus euaneſceret, nec rheumatici dolores redirent. Alia aegrota aſthmate, hepatis et lienis obſtructionibus, tactu prehenſis, a quinque annorum tempore, quo menſtrua ceſſarunt, afflicta, multis remediis fruſtra adhibitis, ab his non ſolum, ſed ab aliis quoque extracti cicutae vſu liberabatur moleſtiis. Similem felicem euentum cicutae quoque habuit Noſter in viro bibaci phthiſico, et puero, tuſſi ſummaque pectoris anguſtia, poſt variolas remanentibus, laborante.

p. 56. Miſſis ſalutiferis cicutae effectibus in rheumaticis tuſſibus pertinacioribus, ad morbos abdominis ſeſe conuertit Cl. Auctor. Virgo ſtomachi languore, inappetentia et ſemper acerrimo dolore, mox poſt ciborum aſſumtionem, oboriente, nec ſine eſculentorum vomitu ceſſante, vexata fruſtra, ſumſit multa medicamenta. Propinauit ergo Noſter decem extracti cicutae grana mane et veſperi, quibus aegrae vnciae tres vaccini lactis cum libra dimidia frigidae aquae, infuſione corticis Peruuiani paratae, quam aquam ſingulis bihoriis continuauit, ſuperbidendae erant, nec quidquam eſculentorum aſſumendae, et quarta die deſiit vomere, et, continuatis remediis, ſanitati penitus aegra eſt reſtituta.

p. 60. Porro puerpera, fetu faciliter excluſo, febre corripiebatur ſat vehementi, violentiſſimis vteri doloribus et lochiorum ſuppreſſione ſtipata. Habebat enim poſt partum, etiamſi erat facilis, non pacatum pulſum, et, ſi vna alteraque poſt partum

hora

hora pulſus celeritas non ſedaretur, ſemper ſequi acutam febrem cum vteri inflammatione, Noſter eſt expertus. Haec, febre per corticem Peruuianum curata, a reliquis moleſtiis, vſu extracti cicutae, feliciter eſt liberata. In viro, hepatitide laborante, remanebat tumefactus lien et induratum hepar cum oedemate pedum, qui, per quadraginta dies, adhibito cicutae extracto, penitus conualuit. Aeque felicem cicutae effectum Noſter in hepatis obſtructionibus, nec non in irregularibus menſtruis, cum multo dolore coniunctis, vidit.

Viro iam diu herpetis ſpecie in facie primum, p. 65.
(ſalſedinem dicit Auctor,) dein in pectore moleſte affecto, et ſenſim diſparente, ex eius retropulſione ardor ſummus in vrethra cum doloribus maximis oriebatur, quem nihil, nec opiata, quae in vrethram iniiciebantur, ſedare poterant. Huic viro externe ſuaſit de cicuta iniectionem et interne ſingulis diebus mane viginti grana extracti cicutae dedit. Quibus per quadraginta dies vſurpatis, integram nactus eſt aeger ſanitatem.

In morbis externis ſimilem monſtrauit cicuta ef- p. 67.
ficaciam. In tumoribus enim ſtrumoſis colli non fruſtra vſus eſt Noſter emplaſtro de cicuta externe, et interne dedit extractum eius, ita, vt a quinque granis inceptam doſin in diem vſque ad vnam drachmam augeret. Ac omnino in morbis glandularibus illisque, a liquidorum alborum indole vitiata proficiſcentibus, validum atque efficax remedium praedicat cicutam Noſter, et obſeruatione puellae nouem annorum, cruſtam lacteam et tabem glandularum vniverſalem habentem, quae ope extracti cicutae trium granorum, bis de die datorum, et decocti ſaſſaparillae et ligni guaiaci cum vaccino lacte ſanitati reſtituta eſt, illuſtrat.

p. 70. Tandem foetidi atque annoſi vlceris, per cicutam curati, exemplo narrato, eius effectum in lue venerea laudat et exoſtoſi, maculis atque doloribus rheumaticis venereis diu vexatum aegrum, exhibito cicutae extracto, feliciter ſanauit.

XVI.

Noui Commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. X. pro anno 1764. Petropoli, typis Academiae ſcientiarum 1766. 4. alph. 3. pl. 10. tab. aen. 20.

In hoc tomo, quae nobis praecipue indicanda ſunt, ex claſſe phyſico-mathematica ſequentia inuenimus.

p. 282. 1. *Obſeruationes quaedam ad opticam pertinentes.* Auctore Cl. AEPINO. Diſſertatio de coloribus accidentalibus, commentariis Academiae Pariſienſis anni 1740 inſerta, in qua etiam macularum nigrarum, oculis obuolitantium, natura declaratur, nouaque de coloribus, quibus vmbrae, a ſole oriente ac occidente proiectae, tinguntur, obſeruatio profertur, occaſionem Auctori Cl. praebuerunt: 1) de coloribus accidentalibus proferre ſingulares circumſtantias, quas ipſe obſeruauit, ac quisque poſt eum ſolem horizonti propinquum vel raris nubibus obtectum, ne oculi laedantur, per aliquot decem circiter ſecunda minuta intuens et poſtea a ſole oculos auertens obſeruare poteſt. Imago ſolis hac ſenſatione acquiſita, auerſi oculi ſiue claudantur, ſiue aperti ſeruentur, non illico euaneſcit, ſed per tria aut quatuor minuta prima perſiſtit ac durat. Imago vero ea, clauſis oculis, inſtar maculae irregulariter circularis apparet, cuius area interior videtur flaua ac quodammodo

dammodo ad viridem colorem vergens, annulo rubro cincta. Apertis vero oculis ac coniectis, in album parietem, videbitur in ea haerere macula, qua figuram et magnitudinem ei, quae, clausis oculis, obuersabatur, similis, sed longe alia ratione colorata; area enim, quae clausis oculis flaua apparuit, nunc rubere videtur, margo vero in fundo albo apertis oculis coeruleum refert colorem. Si iterum claudantur oculi, alternisque vicibus aperiantur, redibunt priores sensationes per quatuor aut quinque minuta ea lege, vt maculae interior area gradatim in viridem, ac tandem in coeruleum colorem, clausis oculis, in rubrum vero apertis vergat, margo vero clausis oculis semper ruber, apertis vero vivide coeruleus videbitur, haeque sensationes huius coloris sensim sensimque imminuentur, donec ipsa sensatio debilitata disparet. Varias Auctor Cl. ex his obseruationibus vberius descriptis deducit conclusiones, quarum potissimae eo redeunt: 1) radios solis directos, ab oculis exceptos, agere in neruos, certamque, cuius anima sibi conscia est, mutationem ipsis imprimere, eamque, sensatione cessante, non in instanti euanescere, sed per longum satis tempus adhuc perdurare; 2) impressionem, a radiis lucis vehementioribus excitatam, actione ipsa cessante, transire in actionem radiorum flauorum, hanc in actionem viridium, hancque tandem in eam, quae ex radiorum coeruleorum actione oritur; 3) impressionem, a colore albo tabulae excitatam, cum impressione, quae prouenit ex flauo viridi ac coeruleo compositam, producere eandem impressionem, quam in rubrum vergens color producere solet.

De maculis vero, visui obuolitantibus, ita agit p. 288.
Auct. Cl., vt post recitatas variorum, qui huius morbi explicare naturam voluerunt, sententias doceat, praeualuisse tandem, ac cum principiis dioptricis

melius conſentire, quam alias omnes, eam opinionem, quam etiam Cl. BUFFONUS tuetur, quae ex partibus quibuſdam retinae, ſenſatione orbatis, ſeu paralyſi affectis, eum deducit morbum. Cum Cl. Auctor ipſe a pluribus annis eo morbo affectus, occaſionem nactus eſt, obſeruationes in has maculas inſtituendi accuratiores, omnes reducendas eſſe ad duo genera, ex iis edoctus eſt. Vtrumque earum genus graphice deſcriptum eſt. Ex omnibus tandem phaenomenis macularum et ſtructura ſingularum partium oculi conſiderata, validis argumentis conficitur, dari caſus, vbi hic morbus in tunica retina non haeret, ſed ſedes potius eius in humore vitreo eſt quaerenda, cuius ſubtiliſſima vaſa, lympham vehentia, dilatantur et introitum partibus craſſioribus et opacis praebent.

p. 292. In obſeruatione tertia primum Auctor Cl. deſcribit obſeruationem Buffonianae ſimilem, ſed nouam. Concernit ea vmbras, a candela accenſa proiectas, tempore crepuſculi matutini ac veſpertini, quae non nigrae, ſed ſemper coeruleae, ſi plano albo excipiantur, virides vero, ſi in planum flaueſcens proiiciantur, apparent. BUFFONUS coeruleas interdum virides vmbras, a ſole proiectas, apparere docuerat, cum primum hic color in iis ab Auctore Cl. non fuerit conſpectus, ſed ſolum coeruleus. Dubius aliquamdiu circa obſeruationes Buffonianas haerebat, donec ſuae eum obſeruationes docuerunt, apparere poſſe vmbras, ſole proiectas, plano etiam albo exceptas, virides, dum aër ſparſis nubibus rubicundis aut aureo colore tinctis, repletus eſt. De cauſſis huius phaenomeni, quas profert, cum ipſe Cl. Auctor ambigat, non attinet plura dicere.

p. 296. 2. *Similitudinis effectuum vis magneticae et electricae nouum ſpecimen*, Auctore Cl. AEPINO. Quamuis

Quamuis Auctor Cl. in tentamine electricitatis ae magnetiſmi, cuius ſummam *) exhibuimus, luculenter probatum dederit, ex phaenomenis electricis ea, quae ab actione fluidi electrici, in corpore quodam haerentis, vnice pendent, magneticis eſſe ſimillima, nouum tamen ſe ei obtulit experimentum, idem mirifice confirmans, illudque ſimpliciſſimum, ad quod non niſi primum acu tenui ferrea, molli, vnius digiti longa, ad extremitates rotundata ex filo ſerico tenui ſicco ac quinque pollicum longo ſuſpenſa, ac deinde filo ferreo molli craſſitiei calami anſerini quinque vel ſex pollicum, cuius extrema parumper rotundata, ac tandem virga chalybea fortiter magnetica et tubo vitreo aut cylindro ex ſulphure vel cera Hiſpanica opus eſt. Quod ſi apparatus iſte ex praeceptis Cl. Auctoris combinetur in vtroque caſu et admoti horizontaliter magnetis et admoti cylindri, panno laneo rite fricati, ad acum ex filo verticaliter ſuſpenſum ſimillimae repulſiones et attractiones obſeruabantur, vt perſpicaciſſimus ſpectator, niſi ipſi aliunde cognitum fuerit, plane diuinare nequeat, vtrum, quae videt phaenomena repulſionum et attractionum a vi magnetica, an vero electrica producantur. Tanta eſt ex hoc nobili experimento mirifica effectuum vtriusque vis identitas ac ſimilitudo.

Ex claſſe phyſica porro traduntur:

1. *Caloris diminuti et auctι phaenomena noua paradoxa et conſiderationes*, Auctore Cl. BRAUNIO. p. 309.
Auctor Cl. in diſſertatione de congelatione hydrargyri **) a ſe detecta, monuit, experimenta ſibi non ſucceſſiſſe, quae frigus quoddam producere a viris in arte experimentandi exercitatiſſimis perhibebantur,

*) Vide Comment. noſtr. Supplem. prim. decad. p. 681.
**) Vid. Comment. noſtr. Vol. X. p. 212.

tur, ſi oleis eſſentialibus ſpiritus vini praecipue rectificatiſſimus affundatur. Quare cum variis oleis eſſentialibus puris, deſtillatione paratis omni cura et diligentia repetenda cenſuit, vt ſi quod vitium ſubreptionis, vel a ſe, vel ab aliis commiſſum eſſet, detegeret. Primum itaque monet, experimenta in conclaui eſſe inſtituenda, quod vel eiusdem temperiei eſt, cum fluidis, vel his eſt calidius et thermometrum mercuriale Delilianum, quo ipſe vſus eſt, eandem cum ſpiritu vini et oleis debere habere temperiem, quod non adeo facile obtinetur et loca conclauis non eſſe permutanda, cum eius ſuperiores partes calidiores ſint inferioribus, omiſſaque vna ex his cautionibus, facillime vitium in experimenta irrepere poteſt. Explorato proinde calore vini rectificatiſſimi, olei et loci conclauis immergendum iam eſt thermometrum oleo affuſoque vino rectificatiſſimo, attendendum non ſolum primis minutis, ſed ad dimidiam horam, integram horam et vlterius, vtrum nullam frigoris vel caloris productionem obſeruare liceat, quod ex aſcenſu vel deſcenſu mercurii in thermometro, ſeruato eodem hypocauſti calore, euidens erit. Ingenioſe ita inſtitutis experimentis, inuenit Auctor Cl. fluida, quae frigoris nihil ſub dictis circumſtantiis producere ſolent, eoque pertinent olea expreſſa ac deſtillata. Spiritus nitri parum aut nihil mutationis oſtenderat, excepto oleo vitrioli, quod loco frigoris aliquot ſex vel plures gradus caloris praeter expectationem produxerat. Spiritus ſulphuris, aceti, acidum citri, acetum vini, ſpiritus ſalis ammoniaci frigoris aliquot gradus produxerunt. In omnibus aliis fluidis productio frigoris ſine omni exceptione obſeruabatur, vt in ſpiritu vini rectificatiſſimi, ſpiritu vini Francici, in omnibus vinis tentatis, in cereuiſiis, in ſolutionibus ſalium, quemadmodum ex tabula, huic diſſertationi inſerta, luculentius

cogno-

cognoſci poterit. His per experimenta extra dubium conſtitutis, porro Auctor Cl. docet, frigus vel calorem ſub his circumſtantiis productum non eſſe eiuſmodi, quod ſolum apparet et a contractione ac dilatatione vitri potius, quam a contractione ac dilatatione ipſius mercurii pendet, ac proinde frigus eſſe reale caloremque realem, reuera enim in productione frigoris mercurius in thermometro contrahitur, et in caloris productione dilatatur. Tandem demonſtrat Auctor Cl. cauſam paradoxae huius frigoris ac caloris productionis quaerendam eſſe non in materia quadam frigefaciente, qua aër ambiens repletur, ſed potius in ſolutione frigida, dum fluidum, bulbo thermometri adhaerens, in vapores reſolvitur, quemadmodum alias frigus augeri animadvertitur, dum madida corpora lintea et alia exſiccari ſolent. Ex qua ſententia caſus ac phaenomena ſpecialia declarantur vberius, eiusque veritas ingenuoſis argumentis extra dubium ponitur, ac errores ſimul quorundam phyſicorum indicantur.

2. *Piſcium rariorum e muſeo Petropolitano excerptorum, deſcriptiones continuatae.* Auctore Cl. I. T. KOELREUTER. De nouem prioribus deſcriptionibus horum piſcium, quae aliis voluminibus iam inſertae ſunt, alibi ad Lectores retulimus *). Superſunt quatuor piſces, quorum deſcriptiones in praeſenti volumine reperiuntur. Primus ex iis eſt *lophius, oſſiculo frontis tentaculis carnoſis, centralibus, terminato.* Corpus habet maxima ex parte ventricoſum, craſſum, dorſum et circa caudam verſus cathetoplateum. Color abdominis albicans, reliqui corporis ex luteo albicans, lituris maculisque e bruno ferrugineis variegatus. Cutis verrucis ſcabris et papillis denticulatis minoribus obſita eſt. Vtraque maxilla p. 329.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 590. et Vol. XIV. p. 131.

maxilla vt in *gadis* et *vranoſcopis* lamina oſſea inſtructa eſt, denticulis pluribus tenuibus obſita. Branchiae ab arcubus oſſeis tribus ſuſtinentur. Foramen vtrinque ſub pinnae pectoralis baſi ad branchias patens, vnicum. Pinna dorſi vnica radiorum duodecim ſimplicium, excepto penultimo, qui bipartitus eſt. Pinnae ventrales duae radiorum quinque carnoſorum, infimo bipartito. Pectorales ſeu potius laterales duae radiorum vndecim. Pinna ani vnica radiorum ſeptem. Pinna caudae, vt videtur indiuiſa, radiis novem bipartitis. In capite oſſiculum, quod tentaculis carnoſis centralibus inſtruitur, gerit, aliudque corniculum in capite et dorſo habet. Longitudo tota 5′ 5″ eſt.

p. 337. Alter piſcium deſcriptorum eſt *mola aculeata, limbo abdominis producto, attenuato, carnoſo.* Corpus cathetoplateum ac circumſcriptione ouatum eſt. Cutis papillata et aculeata eſt. Aculei in toto corpore circiter viginti ſex numerantur, non in abdomine tantum, ſed etiam in fronte, ad orbitae marginem, in dorſo cet. reperiundi, baſi fixa inſtructi ſunt; os perparum prominet et roſtratum eſt; maxilla vtraque non indiuiſa, ſolida et nuda tantum lamina eſt, atque ſuperior, clauſo ore, ſuper inferiorem deflectitur. Pinnae pectorales duae radiorum tredecim: dorſalis vnica radiorum ad minimum quindecim: analis vnica radiorum ſedecim: caudales et ventrales nullae*). Longitudo tota 7 ¼″ eſt.

p. 340. Tertius piſcis eſt *percis, pinnae dorſualis radiis undecim ſpinoſis, quatuordecim mollibus; faſciis duabus latis albicantibus.* An? *Sciaena lineis obliquis laeuis*

is

*) Num hic piſcis ad *tetrodontis* vel *diodontis* genus pertineat, dubitatio nobis orta eſt. *Tetrodon* maxillas apice bipartitas et corpus tantum ſubtus muricatum habet, cum in hoc piſce maxillae non diuiſae et corpus omne ſpinis inſtructum ſit. Sed *diodon* ſpinis mobilibus inſtruitur, quae in hoc piſce fixae ſunt.

in vtroque latere. GRONOV. muſ. ichth. I. num. 91. Dorſum monopterygium et cauda indiuiſa eſt. Operculum branchiarum laminaque vtriusque lateris intermedia ſquamis inſtructa eſt, margo illius poſterior duabus diſtinctis ſpinarum, prominentium ac inter ſe diuergentium, ſeriebus armatur. Membrana branchioſtega, tribus tantum oſſiculis ſuffulcitur. Pinna dorſi radios vndecim ſpinoſos et quatuordecim molliores habet. Pinnae pectorales radiis decem inſtruuntur, qui omnes, exceptis duobus exterioribus, tam ſuperioribus, quam inferioribus, ſimplices ſunt. Pinnae ventrales radiōs ſex habent, quorum primus rigidus et ſpinoſus eſt. Pinna ani radios quatuordecim habet, caudae vero octodecim habet. Longitudo tota eſt 3′ 4″.

Vltimus eſt *percis faſciis tribus albicantibus; oſſe malae vtrinque in duas ſpinas, vnam longam, alteram breuem, producto.* Etiam dorſum monopterygium et caudam indiuiſam habet. Pinna dorſalis radios nouem ſpinoſos et octodecim inermes: pectorales radios $\frac{17}{12}$ ventrales $\frac{6}{11}$ analis 16 habet, quorum duo priores rigidi, reliqui molles et ſubramoſi ſunt. Longitudo tota 4′ 6″ eſt.

3. *Dentalii Americani, ingentis magnitudinis deſcriptio.* Auctore EODEM. Domicilium hoc vermis cuiusdam marini, a nauta quodam ex America Archangelopolin aduectum, nunc in muſeo Petropolitano reperiundum, magnitudine ſua ſingulari alia ſui generis ſuperat. Vocat vero Cl. Auctor illud *dentalium arcuatum, ſpongioſum, fuſcum; ſuperficie tuberculis contiguis exaſperata.* Longitudo eius ſecundum curuaturae arcum menſurata 4° 5′: ſecundum lineam rectam 4° 2′: altitudo ad extremitatem ſuperiorem 3′ 5″, diameter luminis 2′ 6″ eſt. Aliud quoque adeſt dentalium ſimile, ſed magis inconditum et irregulare, quod 3° 8′ longitudinem habet. p. 352.

4. *Obſer*

p. 357. 4. *Obſeruationes meteorologicae anni* 1759 *Petroburgi factae, et in eas conſiderationes*, Auctore Cl. BRAUNIO. Ex his obſeruationibus omnium maxime notandae ſunt: 1) obſeruationes barometricae, in quibus altitudo barometri ſumma Petroburgi hoc anno erat 28. 82. 9 nou. ſtil. vet. obſeruata infima vero 27. 00. et quidem die 24 et 26 ianuarii. Quodſi ſumma haec altitudo comparatur cum altitudine ſumma aliorum annorum, minor ea eſt maxima aliis annis, et inprimis anno 1757 obſeruata $3\frac{1}{2}$ lin. poll. Pariſ. minima vero, comparata cum illis aliorum annorum, maior eſt 7″ poll. Pariſ. 2) Ex tabula maximi et minimi caloris ſingulorum menſium frigus omnium maximum ac ſaeuiſſimum 26 decembris obſeruatum = 212, quale nunquam hoc loco obſeruatum, cum vltra gradum 202 et 203 aliis annis non proceſſiſſe, obſeruationes exactae docent. Occaſione huius frigoris vſus eſt Auctor Cl. ad nobile inventum congelationis hydragyri extra dubium ponendum, frigus hoc ſaeuum penetrauit in terram vſque 30 pollices ped. Lond. Glacies Neuae cum craſſiſſima erat, aequabat 29 poll. ped. Lond. Calor maximus contigit d. 26 maii. 3) Notantur dies, quibus vehementiores venti, primum tonitru vna cum ſubſequentibus diuerſis menſibus 12 tempeſtatibus fulmineis, in quarum vna fulmen obſeruatum, quod in linea ſpirali mouebatur, aliaque phaenomena, vt halones circa ſolem et lunam, boreales luces obſervata, inprimis vero notatu dignae ſunt vibrationes acus magneticae, mobiliſſimae obſeruatae fulmineis tempeſtatibus imminentibus, vel coelo tantum nubibus obducto, qui effectus electrici aëris eſſe videtur.

5) *Obſeruationes meteorologicae anni* 1760, *factae Petroburgi*, Auctore EODEM. Cum, quibus libet

libet annis, eadem ſeries in obſeruandis meteoris ab Auctore Cl. obſeruata, hinc et hoc anno ſub hoc titulo occurrunt. 1) Tabula altitudinum barometricarum ſummarum ac minimarum vna cum differentiis earum per ſingulos menſes, ex quibus ſumma hoc anno 23. 58. infima 26. 74. Vtraque ſummo ſtudio cum ſummis ac infimis annorum tum antecedentis et aliorum comparatur. 2) Ex tabula maximi ac minimi caloris, per ſingulos menſes notati, elicitur, frigus maximum d. 13 ianuarii fuiſſe = 206 ac proinde 6 gradibus minus eo anni praecedentis, calor maximus vero obſeruatus menſe maio = 109. 3) aurorae boreales ſeptendecim, quarum tres erant perfectae, hoc anno conſpectae. Halo d. 12 ianuarii viſa eſt, circa ſolem cum tribus pareliis et d. 4 auguſti iterum halo circa ſolem apparuit ellyptica. Vtraque ob ſingularitatem ſingulari figura expreſſa. Primum tonitru d. 16 maii auditum, ſubſequentibus aliis diebus aliisque menſibus 9, in quorum nonnullis inſignes acus magneticae vibrationes ſe conſpiciendae praebebant, quae etiam nonnunquam coelo ſereno obſeruatae ſunt.

6) *Hiſtoria et examen chymicum lapidis nephritici.* Auctore D. I. G. LEHMANNO. Cl. Auctor hoc commentario apyrum lapidem in noſtris montibus non admodum rarum, *nephriticum* ſcilicet deſcribere aggreditur. Nephritici vero nomen ideo a veteribus obtinuit, quoniam in morbis renum magnam eius vim eſſe putabant. Antiquiſſimis ſcriptoribus plane incognitus eſſe videtur, licet *Comenſis lapis* PLINII (Hiſt. nat. Lib. 36. cap. 22.) cum eo quodammodo conueniat. Quem enim ſub nephritici lapidis nomine varii Auctores deſcripſerunt, is vel malachites fuit, vel lapis ſic dictus amazonum, vel alius lapis opacus virideſcens. Merito a Cl. IUSTI lapis, de quo hic ſermo eſt, ſerpentinis annu- p. 381.

meratur, cum orientales vulgo dicti ad iaſpides, malachitis aut lapidis amazonum genera pertineant. A WALLERIO inter gypſeos, a POTTIO inter calcareos falſo refertur, vt itaque Cl. CRONSTEDT primus ſit, qui veram eius naturam accuratius cognouerit, illum argillaceis lapidibus et ſpeciatim ſerpentino adnumerans. Eſt vero ex Cl. Auctoris
p. 390. definitione *nephriticus lapis*, qui hic deſcribitur, lapis lamelloſo-fibroſus, laeuis, compactus, mediocriter durus, in igne indureſcens, menſtruis acidis et alcalinis ſumme reſiſtens, ceterum vero polituram admittens, coloris plus, vel minus viridis et plerumque ex parte diaphanus. Locus eius natalis eſt Saxonia, Bohemia, Italia, Hungaria, Sileſia et forte etiam Hiſpania. Occurrit etiam in Sibiria. Inprimis vero in Saxonia Zoeblicii cum lapide ſerpentino effoditur, cuius venae cortex haud raro eſſe ſolet. Nonnunquam ex eo ſi purus eſt, vaſa vt ex ſerpentino parantur. Ad ſerpentinos vero lapides eum pertinere, Cl. Auctor ex eo demonſtrat, quod plerumque in fodinis lapidis huius inueniatur, eadem duritie eodemque fere colore gaudeat, eaſdem fere partes conſtitutiuas habeat et per experimenta chemica eadem fere producta, quae a lapide ſerpentino provenire ſolent, oriantur. Menſtrua acida mineralia eum non ſoluunt, ſed aliquid tantum extrahunt, quod martialis indolis eſſe, praecipitationis ope Cl. Auctor cognouit. Eaſdem quoque martiales partes per ſublimationem cum ſale ammoniaco, mercurio ſublimato cet. detexit. Menſtrua alcalina nullam in eum vim exercent. Cum ſale tartari et borace fuſus, in vitrum ſubluteum, cum tartaro vitriolato et arſenico fixo, in vitrum viride mutatur. Cum argilla ſola vel cum argilla et ſmectite fundendo Cl. Auctor vitrum durum, cum chalybe ſcintillas ſpargens, obtinuit. Ex his itaque experimentis omnibus con-

concludit: 1) lapidem hunc ſummopere cum amian- p. 411.
tho conuenire, 2) exigua quantitate partium martialium, qualis in hoc lapide reperitur, non tantum in vitrificatione, verum etiam in generatione lapidum, mirum in modum corpora terrea tingi poſſe. 3) Mineras auri, argenti, cupri cet. cum lapide nephritico, amiantho, asbeſto, tanquam lapidibus refractariis permixtas, facillime argillae ope fundi poſſe.

7) *De entrochis et aſteriis columnaribus trochlea-* p. 413.
tis, vulgo von Schraubenſteinen. *Accedit problema de petrefacto incognito, nouiter inuento.* Auctore D. I. G. LEHMANNO. Lapides cochleati ſunt lapides columnares cylindrici, vel pentagoni, nunc ſiliceae, nunc calcareae, vt plurimum tamen martialis indolis, ex lamellis, per certas diſtantias a ſe inuicem plus minusue ſeiunctis, et axi, per medium earum transeunti, cohaerentibus, conſtantes et cochleae figuram referentes. Eorum primum Angli ſcriptores, PLOTIUS et LUIDIUS mentionem fecerunt. Poſt eos BRÜCKMANNUS, RITTERUS etc. aliquas circa illos obſeruationes publicarunt. WALLERIUS vero et LINNAEUS *) eos omiſerunt. Lis tandem de iis orta eſt inter Cl. LIEBEROTH et CHRISTIANUM MYLIUM, quorum prior eos conchyliis, poſterior fragmentis capitis meduſae adnumerauit, quam vltimam ſententiam etiam Cl. SCHULZIUS aliique ſequuti ſunt. Antequam vero Cl. Auctor ipſos hos lapides accuratius conſiderat, de trochis et aſteriis atque, qui ex his componuntur, entrochis et aſteriis columnaribus pauca monet, oſtenditque haec petrefacta omnia partes en-

 crinorum

*) Inſeruit tamen illud petrefactum Ill. LINNAEUS editione Syſt. Nat. XII. Vol. III. p. 170. ſub nomine helmintholithi (epitomii) diſſepimentis orbiculatis diſtantibus filo centrali connexis. Protypum tamen adhuc ignotum eſſe putat.

crinorum esse. Iam ad lapides cochleatos accedens, monet, eos in Anglia inprimis reperiri et Germania, inter quos ii maxime vulgares sunt, qui in principatu Blankenburgensi ex fodinis Huttenrodanis, atque inter Goslariam et Clausthalum eruuntur. Hos vero omnes entrochis columnaribus adnumerandos esse, pluribus speciminibus, hic delineatis, probat, inprimis exemplari quodam, quod diffractum, eandem stellam pentagonam monstrat, quae in compluribus trochis et entrochis columnaribus vulgo conspicitur. Caussa vero differentiae, quae inter entrochos et lapides trochleatos est, posita est in erosione qua-
p. 429. dam, quam trochleati hi lapides passi sunt. In fine huius commentarii Cl. Auctor describit petrefactum quoddam, quod a nemine Auctorum descriptum esse putat. Est vero illud *entomolithus paradoxus* LINN.*) vti Auctor Cl. etiam in additamentis ad hunc commentarium monet. Credit, illud esse petrefactum onisci cuiusdam, asseritque, insectum hoc haud raro in confiniis Petropolis viuum diuersaeque magnitudinis a Secretario Academiae Cl. DE STAEHELIN repertum esse. Optandum tamen esset, vt Cl. Auctor insectum hoc delineari curasset, cum tota haec lis adhuc sub iudice sit, atque Ill. LINNAEUS contra asserat, ad monoculornm genus illud pertinere. *Concham* sic dictam *anomiam valuulis trilobis*, de qua alio loco Cl. LEHMANNUS egit **), eamque sub nomine *Cacadumuschel* delineari curauit, fragmentum tantum huius petrefacti esse, ipse nunc fatetur.

*) Vide Syst. Nat. edit. XII. p. 160. et scriptores ibi citatos. Iis vero addi debent plura loca ex transactionibus philosophicis, vbi huius petrefacti, sub nomine vulgari Anglico *Dudleyfossil*, mentio fit.

**) Vid. EIUSD. *Versuch einer Geschichte von Flötzgebürgen* p. 72.

XVII.

NICOLAI LAURENTII BURMANNI Flora Indica, cui accedit ſeries zoophytorum Indicorum, nec non prodromus Florae Capenſis. Lugd. Bat. ap. Corn. Haek et Amſtelod. ap. Io. Schreuderum. 1768. 4 mai. alph. 1. pl. 14. tab. aen. 67.

Qui ſingulari contentione feliciſſimoque niſu paterna veſtigia premit et elegantiſſima de geraniis diſſertatione *) primum, non vulgaris plantarum cognitionis, ſpecimen dedit, ab Eodem plurima facile, at non niſi egregia, omnique parte perfecta, pro rei herbariae incremento, expectare potuimus ſcripta. Praeſens, quam indicamus, Flora nullo certiſſime indiget praecone, hinc nec eandem et Cl. Auctoris in ea conſcribenda, adhibitam operam, nec inde expectandam vtilitatem multis laudari verbis debemus, inſtituti modo rationem breuiter exponamus.

Non quidem Indiam peragrauit Ipſe Cl. Auctor, ſed ab aliis in Indiis lectas, partim exſiccatas et in paterno muſeo hactenus conſeruatas, partim recentes, immo ex ipſis ſeminibus, Amſtelodamenſi in horto ſatis, enatas et vegetantes ſollicite inſpexit, ſummaque cura diſquiſiuit, ac cum illis, quae in euulgatis Indicarum rerum voluminibus exhibentur, plantis comparauit, obſcuras denique et incognitas vel deſcriptione, vel icone illuſtrauit et hac ratione plus ſane praeſtitit, quam multi alii, qui ipſimet has terras viſitarunt. Ne vero aliis ſua derogemus merita, ea clariſſimorum virorum commemoremus nomina, qui quaſi partem huius operis ſibi vindicant et ad quos pertinent plantae, in eodem recenſitae, prout

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 529.

Ipſe Cl. Auctor eorum memoriam celebrauit. Per dimidium fere ſeculi Excellentiſſimus Parens ſingulari induſtria, imo fortuna, in colligendis his plantis occupatus, ex collectionibus praeſtantiſſimorum botanicorum, PISONIS, HERRMANNI, GARCINI, BREYNII, OLDENLANDII, HARTHOGII, KLEINHOVII, OUTGAERDENII et PRYONIS exſiccata obtinuit ſpecimina, imo ab vltimis quoque, nec non a D. DE SANTEN ſemina accepit; quibus omnibus itaque magnam ſui operis partem tribuit Cl. Auctor, inprimis autem KLEINHOVIUM, qui indefeſſo labore illo, quo in Iaua degit, tempore, botanices ſtudium coluit, hortum prope Batauiam exſtruxit, ſtirpes plurimas, ex China aliisque Indiae plagis allatas, ibidem coluit et vna cum ſeminibus amicis diſtribuit, encomio ornauit, praeterea LINNAEO, quem eo, quo Vpſaliae verſatus fuit, tempore, praeceptorem habuit, obſeruationes circa nonnullas plantas debere, monuit. Has omnes Indicas diuitias ſecundum ſexuale ſyſtema diſpoſuit, eximiorum Auctorum, ſi quae ſunt, ſynonyma adpoſuit, plurimas Phytographiae Plukenetianae, Horti Malabarici et Herbarii Amboinenſis dubias plantas ad ſua genera reduxit, rariſſimarum deſcriptiones addidit et in LINNAEI ſpeciebus et ſyſtemate naturae nondum memoratas, ſpecificis et veris, et triuialibus nominibus inſigniuit, cumque ſolae deſcriptiones haud claram ſemper exprimant ſtirpis formam, eas, quae vel nouae ſunt, vel antea obſcure delineatae, nouis iconibus illuſtrauit; de quibus vero illud addidit monitum: *quum plures ex ſpeciminibus, quorum quaedam ante ſeculi dimidium ſub torrida zona exſiccata fuere, deſumſerim, factum eſt, vt in nonnullis, quae nimis arida, nec extricanda oculorum aciem aufugiebant, fructificationum partes non tam rite, quam quidem exoptaveram, lectoribus conſpiciendas praebere potuerim.*

Omnes

Omnes ſunt nitide ſculptae, plantaeque formam egregie exprimunt.

Atque in hac generali recenſione facile ſubſiſtere poſſemus; verum in eorum gratiam, qui nouis rei herbariae inuentis delectantur, opus autem Burmannianum ſibi comparare haud poſſunt, primo hic delineatas plantas, ſecundum tabularum ſeriem indicare, deinde noua, ab Auctore conſtituta genera repetere et denique de ſpeciebus, et curatius definitis, et nunc primum memoratis, quaedam monere voluimus. Delineatur itaque:

Tab. I. Boerhaauia *diandra* et *erecta* LINN.
II. Nyctanthes *triflora*.
III. Nyctanthes *multiflora*.
Nalla-mulla H. Mal.
Iaſminum *oblongum*.
Azalea *roſmarinifolia*.
IV. Iuſticia *Chinenſis* LINN.
– – *gangetica* LINN.
– – *Madurenſis*.
V. – *nutans*.
Dianthera *hyſſopifolia*.
VI. Verbena *nodiflora* LINN.
– – *Iauanica*.
Valeriana *Chinenſis* LINN.
VII. Commelina *papilionacea*.
– – *diffuſa*.
– – *neruoſa*.
– – *criſtata* LINN.
VIII. – *nudicalis*.
Cyperus *odoratus* LINN.
Panicum *dimidiatum* LINN.
Tab. IX. Cyperus *vmbellatus*.
Scirpus *miliaceus* LINN.
Saccharum *ſpicatum* LINN.
Eriocaulon *ſexangulare* LINN.
X. Panicum *ſanguinale* LINN.
– – *lineare* LINN.
– – *patens* LINN.
XI. Panicum *repens* LINN.
Poa *Malabarica* LINN.
– *Chinenſis* LINN.
XII. Panicum *hirtellum* LINN.
Dactylus *lagopoides*.
Gramen geniculatum PLUKN. T. 189.
– *geniculatus*.
XIII. Spermacoce *ocymoides*.
Knoxia *Zeylanica* LINN.
Pauetta *Indica* LINN.

Tab. XIV. Oldenlandia *tenuifolia*, Parpadagam, H. Malab.
Borago *Zeylanica*.
Capraria *vniflora*.
XV. Oldenlandia *paniculata* LINN.
– – *repens*, Neladsjira H. Malab.
Ammannia *baccifera* LINN.
Cometes *Surattenſis*, forte Clinopodium PLUKN. t. 380.
XVI. Heliotropium *Malabaricum*.
– – *Zeylanicum*.
Euoluulus *tridentatus* LINN.
XVII. Conuoluulus *mollis*.
XVIII. – – *vitifolius*. Convoluulo ſimilis PLUKN. T. 25.
Ipomaea *ſagittaefolia*.
XIX. Heliotropium *Perſicum*.
Conuoluulus *angularis*.
– – *ſericeus*.
– – *ſpinoſus*.
XX. Conuoluulus *neruoſus*, a SLOANE Tab. 98. delineatus.
Ipomaea *hepaticaefolia* LINN.
XXI. Conuoluulus *gemellus*.
Conuoluulus *vniflorus*.
Ipomaea *paniculata*.
Tab. XXI. *Porana *volubilis*.
Apluda *ariſtata*.
Iſchaemum *ariſtatum*.
XXII. Solanum *Guineenſe* LINN.
– – *trilobatum* LINN.
– – *trifoliatum*.
XXIII. Embelia *ribes*.
XXIV. Vitis *trifolia* LINN.
Staphylea *Indica*
XXV. Celoſia *pyramidalis*.
Saraca *arboreſcens*.
Proſopis *ſpicata*.
XXVI. Echites *caudata*.
XXVII. – – *adglutinata*.
Varietas a JACQUINO delineata. T. 23.
Aſclepias *cordata*.
XXVIII. Echites *nummularia*. Apocynum Indicum BREYN.
Quiſqualis *glabra*.
XXIX. Sium *Ninſi* LINN.
Claucena *excauata*.
XXX. Euoluulus *emarginatus*.
– – *hederaceus*.
Polygonum *Chinenſe* LINN.
XXXI. Galenia *Aſiatica*.
Polygonum *perfoliatum* LINN.
Zaleia *decandra*.

Tab.

Tab. XXXII. Vſubis *triphylla.*
Dais *octandra.*
XXXIII. Caſſytha *corniculata.* Caſſutha cornea RUMPH.
Caſſia *ſenna* LINN.
XXXIV. Fagonia *Indica.*
Iuſſiaea *tenella*, Camarambaya MARCGRAF.
XXXV. Limonia *trifolia.*
Quiſqualis *pubeſcens* LINN.
XXXVI. Glinus *lotoides* LINN.
– – *ononides.*
Corchorus *Iauanicus.*
XXXVII. Delima *ſarmentoſa.*
Corchorus *trilocularis.*
XXXVIII. Lauandula *multifida* LINN.
Moluccella *Perſica.*
Origanum *Benghalenſe.*
XXXIX. Rhinanthus *Indica* LINN.
Antirrhinum *papilionaceum.*
Steris *aquatica.*
Baſella *Iaponica.*
Gmelina *Indica.*
XL. Ruellia *tentaculata.*
– – *repanda* LINN.
XLI. Cornutia *corymboſa.* cornutioides LINN.
Fl. Zeyl. 195.
Ruellia *repens.*
– – *erecta.*

Tab. XLII. Ruellia *Perſica.*
Acanthus *ciliaris.* vid. PLUKN. T. 993.
XLIII. Ouieda *mitis* LINN.
Vitex *pinnata* LINN.
XLIV. Volkameria *alternifolia.*
XLV. – – *multiflora.*
Pedalium *murex* LINN.
XLVI. Peltaria *Garcini.*
Heliophila *incana.*
Cleome *fruticoſa* LINN.
XLVII. Sida *Perſica.*
Hibiſcus *panduraeformis.*
XLVIII. Crotalaria *ſericea.*
– – *rara.*
Hibiſcus *Zeylanicus* LINN.
XLIX. Ononis *Perſica.*
Pſoralea *corylifolia* LINN.
Lotus *Perſicus.*
L. Dolichos *trilobus* LINN.
Glycine *monophyllos.*
LI. Cytiſus *Perſicus.*
Senecio *biflorus.*
Hedyſarum *ſpartium.*
LII. Hedyſarum *reniforme* LINN.
– – *triquetrum* LINN.
– – *moniliforme.*
LIII. – *lineatum* LINN.
– – *lagopoides* LINN.
LIV. – *capitatum.* Onobrychis PLUKN. T. 433.

Hedyſarum *ſtipulaceum.*
Tab. LV. – *proſtratum.*
– – *ſiliquoſum.*
LVI. – *crinitum.*
LVII. Hieracium *Iauanicum.*
Lapſana *Iaponica.*
Sicyos *Garcini.*
LVIII. Ethulia *diuaricata.*
Eupatorium *cordatum.*
Artemiſia *minima* LINN.
Conyza *iuaefolia.*
LIX. Conyza *lacera.*
Erigeron *piſonis.*
LX. Anthemis *Garcini.*
Sphaeranthus *Africanus.* LINN.
Lobelia *pumila.*
Senecio *tenuifolius.*
– – *coronopifolius.*
LXI. Acalypha *hiſpida*, quae cauda felis RUMPH.
Acalypha *ſpiciflora* eſt tithymalus PLUKN. t. 449.
Tab. LXII. Croton *tinctorium* LINN.
– – *racemoſum.* Benel hort. Malab.
Marſilea *Cormandelica.*
LXIII. Croton *haſtatum.*
Ricinus *ſpecioſus.*
LXIV. Croton *caſtaneifolium.*
– – *oblongum.*
Thuia *Iauanica.*
LXV. Ireſine *Perſica.*
– – *Iauanica.* Amaranthus PLUKN. T. 10.
LXVI. Ophioglosſum *pedatum.*
Polypodium *trapezioides.*
– – *radicans.*
Adianthum *truncatum.*
LXVII. Polypodium *ſpinuloſum.*
– – *lineare.*

Ex data hac delineatarum plantarum recenſione ſatis et abunde patet, quam multas, vel primum hic enarratas, vel perfectius ſculptas ſtirpes Cl. Auctor propoſuerit; verum plura inſunt Florae, quae ad genera aeque ac ſpecies pertinent. Ex nouis illis, quae Ill. A LINNÉ nuper in duodecima Syſtematis Naturae editione exhibuit, generibus, nonnulla ampliori charactere, ab Auctore forte primum *) definita,

*) Multa in hac Flora deprehendimus, quae quidem noua videntur, dum vero LINNAEI Syſt. Nat. edit. duodecimam et annexam mantiſſam perluſtramus, plurima

finita et accuratius determinata, deprehendimus. Ita in *ſtilaginis* deſcriptione antherarum nullam mentionem fecit, genus autem ad gynandrias diandrias retulit LINNAEUS, ex hac vero claſſe ad triandrias amandauit Cl. Auctor et duas modo ſubgloboſas antheras et tria filamenta deſcripſit. In *comete* cuiuis floſculo petala quatuor oblonga aequalia tribuit, quae pro calice aſſumſit LINNAEUS. In *ſaraca* filamenta ſex, vtroque latere tria, etiam deſcripſit BURMANNUS, an autem eadem baſi inter ſe connata ſint, non annotauit; imo eandem a diadelphiis, quorſum LINNAEUS retulit, ad hexandrias, amandauit, in eodem quoque genere calcaneo inſtructas antheras eſſe retulit; addidit vero, an polliniferae? In *proſopi* calicem quadridentatum LINNAEUS, quinquedentatum Cl. Auctor deſcripſit.

Genera autem, quae a LINNAEO forte nondum commemorata et primum a Cl. Auctore nominata et definita ſunt, ſequentia inuenimus. *Vallaris*, flos pergulanus RUMPH.*) Floreſcentia vmbellaris, calix quinquepartitus paruus, corolla monopetala

rima ex his iam annotata inuenimus. Imo quod ſerius prodiit BURMANNI opus et inprimis eidem additae icones ſaepe citantur in mantiſſa. Cum vero in Indica Flora mantiſſae nulla plane facta ſit mentio, eandem forte BURMANNUM conferre non potuiſſe, LINNAEUM autem Huius opus, antequam in publicum prodiret, vidiſſe, probabiliter coniicimus. Inde autem lectoribus difficultatem aliquando oriri, facile patet, inprimis cum plantae, in vtroque opere memoratae, non iisdem ſemper nominibus inſignitae, inueniantur. e. g. *Parietariae Indicae* nomine BURMANNUS exhibet *herbam memoriae* RUMPH. *parietaria Indica* LINNAEI eſt *crataeogonum* RUMPH.

*) Idem nomen Pergulariae glabrae ſuppoſuit LINNAEUS mant. p. 53. hinc forte Huius et Cl. Auctoris genus vnum idemque erit. Aſt pergularia inter pentandrias digynias occurrit.

nopetala hypocrateriformis, limbo quinquelobato, filamenta quinque, tubum terminantia, antherae sagittatae cum vesicula a tergo, germen ouatum, stylus longitudine staminum, stigma obtusum. *Porana*, calix pentaphyllus, foliolis corolla dimidio breuioribus, corolla monopetala, campanulata, semiquinquefida, laciniis aequalibus, stamina quinque, germen subrotundum, stylus semibifidus, stigmata capitata.

p. 87. *Claucena*, calix monophyllus, quadridentatus, breuis, petala quatuor subrotunda, filamenta octo, inferiori parte incrassata, intus excauata, nectarium constituentia, antherae versatiles, germen subrotundum,

p. 88. stylus et stigma simplex. *Protium*, quorsum spectat tingulong RUMPH. Calix monophyllus, subquadridentatus, persistens, petala quatuor aequalia, ouato-acuminata, nectarium cingens germen ouatum inter stamina, vrceoli instar, filamenta octo, antherae oblongae totidem, quasi ex quatuor connatae, stylus et stigma simplex. Drupa vnilocularis, semen sub-

p. 89. rotundum. *Vsubis*, folia ternata, flores racemosi, calix diphyllus, petala quatuor, subrotunda, calice minora, stamina octo, germina duo, pedicellata, flore

p. 110. longiora, styli duo, stigmata simplicia. *Zaleya*, calix pentaphyllus intus coloratus, corolla nulla, stamina duodecim, licet speciem decandram dixerit, styli duo, capsula circumscissa, bilocularis, semina duo, supra et infra quadrangularia. Denique dubium genus, ribesioidis nomine in flora Zeylanica modo propositum, in reliquis autem scriptis a LINNAEO non porro commemoratum, reuocauit, eoque loco datam descriptionem confirmauit, ast nouo nomine *embeliam* dixit.

Inter species, praeter illas, in tabulis exhibitas, multae aliae occurrunt, descriptionibus illustratae nominibusque accuratius determinatae; quarum quidem nonnullae in aliorum scriptis inueniuntur, plurimae

plurimae autem hoc loco primum commemorantur. Has, quae plane nouae ſunt, nunc repetere nimis longum foret, earum etiam variae in LINNAEI Syſt. Nat. edit. duodecima et mantiſſa inueniuntur, hinc modo illas, ex aliis notatas et ad ſua genera relatas, triuiali tantum addito nomine, recenſeamus.

Maranta *Malaccenſis*, quae Galanga *Malaccenſis* RUMPH.
Nyctanthes *acuminata*, – Flos *Manilhanus* RUMPH.
Iuſticia *paniculata*, – Cara-Caniram H. Malab.
– – *moretiana*, – Moretiana RUMPH.
– – *gendaruſſa*, – Gendaruſſa ſoſa RUMPH.
Schoenus *tuberoſus*, – Mottenga H. Malab.
– – *paniculatus*, – Carex Amboinica RUMPH.
Scirpus *capitatus*, – Gramen PLUKN. T. 190. f. 7.
Panicum *punctatum*, – Gramen PLUKN. T. 191. f. 1.
Alopecurus *typhoides*, – Gramen PLUKN. T. 32. f. 4.
Cynoſurus *lagopoides*, – Amaranthoides PLUKN. T. 357. f. 4.
Stipa *littorea*, – Cyperus littoreus RUMPH.
Mollugo *triphylla*, – Anthyllis Indica PLUKN. T. 357. f. 1.
– – *paniculata*, – Alſine lutea BURM. Zeyl. T. 6.
Solanum *Surattenſe*, – Solanum Americ. H. Elth. f. 346.
Rhamnus *nummularia*, – Iuiuba Zeyl. PLUKN. T. 197. f. 2.
– – *vitis Idaea*, – Rhamnus Zeyl. BURM. Zeyl. T. 88.
– – *heterogeneus*, – Iuiubae ſimilis PLUKN. T. 312. f. 4.
Echites *ſpinoſa*, – Carandas RUMPH.
Periploca *dubia*, – Katu-pal-valli H. Malab.
Apocynum *vincaefolium*, – Apocynum PLUKN. T. 260. f. 14.
– – *foetidum*, – Conuoluulus foetidus RUMPH.

Craſſula

Craſſula *ſcutellaria*, quae	Scutellaria prima RUMPH.
Pontederia *vaginalis*,	– Plantaginis aquaticae folio PLUKN. T. 215.
Memecylon *umbellatum*,	– Cornus altera BURM. Zeyl. T. 31.
Laurus *Malabathrum*,	– Sindoc RUMPH.
Melia Koetjape.	– Arbuſcula PLUKN. T. 145. f. 4.
Rhizophora *caryophylloides*,	– Mangium caryoph. RUMPH.
Glinus *dictamnoides*,	– Alſine lotoides PLUKN. T. 356. f. 6.
Pſidium *cuiauillus*,	– Cuiauillus RUMPH.
Eugenia *aquea*,	– Iamboſa aquea RUMPH.
Myrtus *ſaligna*,	– Arbor alba minor RUMPH.
Capparis *carandas*,	– Carandas RUMPH.
Calophyllum *Nagaſſarium*,	– Nagaſſarium RUMPH.
– – *akara*,	– Akara patsjoti H. Malab.
Marrubium *Indicum*,	– Marrubium odoratiſſ. BURMAN. Zeyl. T. 71 *).
Gmelina *Coromandelica*,	– Rhamnus SLOANE T. 207. f. 1.
Seſamum *Iauanicum*,	– Bahel-Tsjulli H. Malab.
Ruellia *anagallis*,	– Cruſta ollae RUMPH.
– – *alternata*,	– Prunella Malacca RUMPH.
Siſymbrium *ſinapis*,	– Draba anguſtifolia BARREL. ic. 270.
Sida *acuta*,	– Silagurium anguſtifolium RUMPH.
Polygala *thea*,	– Polygala fruteſcens BURM. Zeyl. f. 85.
Dolichos Catjang,	– Phaſeolus minor RUMPH.

Dolichos

*) Idem ſynonymon addidit Cl. Auctor monardae Zeylanicae, vt hinc eadem planta bis et ſub diuerſo genere memorata videatur.

Dolichos *vncinatus*, quae Phaſeolus ſubhirſutus PLUKN. T. 219. f. 2.

Glycine *triloba*, – Trifol. maderaſpat. PLUKN. T. 170. f. 7.

Galega *barba Iouis*, – Ornithopodium PLUKN. T. 52. f. 1.

– – *colutea*, – Colutea PLUKN. T. 166. f. 3.

Arnica *tuſſilaginea*, – Doronicum PLUKN. T. 390. f. 6.

Sphaeranthus *amaranthoides*, – Amaranthoides PLUKN. T. 357. f. 6.

Epidendrum *articulatum*, – Herba ſupplex V. RUMPH.

– – *caninum*, – Angraecum caninum RUMPH.

Croton *polot.* – Folium vrens RUMPH.

Myrica *aſplenifolia*, – Myrtus Brabanticae ſimilis PLUKN. T. 100. f. 6.

Smilax *Indica*, – Kar-vilandi H. Malab.

Dioſcorea *cylindrica*, – Kappa-kelengu H. Malab.

Meniſpermum *glabrum*, – Cit-Amerdu H. Malab.

Andropogon *dulce*, – Cyperus dulcis RUMPH.

Parietaria *Indica*, – Herba memoriae RUMPH.

Ficus *ſeptica*, – Idem nomen RUMPH.

– – *ampelos*, – Folium politorium RUMPH.

– – *Tſiakela*, – Triuiale nomen in H. Malab.

– – *groſſularioides*, – Valli-teregam H. Malab.

Ophioglosſum *circinnatum*, – Adianthum volubile RUMPH

Aſplenium *arifolium*, – Patitsjivi-maravara H. Malab.

Polypodium *laciniatum*, – Elettadi-maravara H. Malab.

Plura alia, ex cryptogamiis determinata curatius, ſtudio omittamus et nonnullas adhuc ex obſervationibus repetamus. *Oleam Indicam* foliis lanceo- p. 6. latis

latis ſubtus tomentoſis quidem diſtinguit, aſt ab Eu-
p. 40. ropaea vix differre monuit. *Heliotropii* tres exhibuit icones, quarum prima *Malabaricam* plantam ſiſtit, albo tomento et lanugine obductam, *Europaeo* autem ſimillimam; altera *Zeylanicam* repraeſentat, quae varietas eſt *Curaſſauici*, et tertia *Perſica* ad *fru-*
p. 50. *ticoſum* amandatur. *Ipomaeae, pes tigridis* dictae exemplar Iauanicum ſetis albicantibus, rugoſum, Perſicum vero glaberrimum vidit. *Myrtum Leucadendram* LINN. et *ſalignam* pretioſum illud oleum
p. 131. Caiu-poeti praebere docuit. *Antirrhinum papilionaceum* ſingularem gerit calicem, eiusque folium ſupremum cordatum tegit corollae latus ſuperius, inſtar vexilli, reliquis quatuor breuioribus lateribus corollae
p. 132. incumbentibus. *Cornutiae corymboſae* radix, eiusque cortex oleum praebet aromaticum, odoratu ſuaviſſimum, et in ventriculi debilitate ac vomitu effi-
p. 219. caciſſimum. *Andropogon ſhoenanthus* deſtillatione praebet oleum, ſeree dictum, quod ad confortandum ſtomachum, cibisque et condimentis gratum conciliandum odorem et ſaporem per totam Indiam adhibetur, vinumque ex *Palma Saguero* praeparatum, ita conſeruat, vt in alias transmitti poſſit re-
p. 203. giones. *Acalyphae hiſpidae* flores, referente PRYONE, ſpecificum praebet remedium in diarrhoea et omni morbo, ex laxitate vaſorum orto.

Zoophyta, quia creſcendi modo vegetabilium naturam aemulantur et pro plantis marinis habita fuerunt, florae addidit Cl. Auctor, eademque, quatenus in India Orientali inueniuntur, duabus paginis, nomine generico et triuiali plerumque tantum notatis, recenſuit.

De Florae Capenſis prodromo, qui paginas 33 implet, plura dicendi aliam expectamus occaſionem, modo nunc moneamus, ſexuali methodo diſpoſuiſſe plantas eas, quae in LINNAEI vel aliorum ſcriptis deter-

determinatae occurrunt, generico et triuiali tantum nomine excitaſſe, reliquis et primum hic memoratis vt plures ſunt antholyzae, ixiae, leucadendri, craſſulae et aliae ſpecies, noua ſpecifica nomina, ſaepius etiam deſcriptiones addidiſſe, imo et genera nonnulla noua condidiſſe. *Nigrina*, *plectronia* et *monſonia*, accuratius a Cl. Auctore forte primum conſtituta, in mantiſſa Linnaeana iam occurrunt, reliqua, quae in prodromo ſolum inueniuntur, ſunt: *callicornia*, calix communis ouatus imbricatus coloratus, corolla compoſita radiata, floſculi hermaphroditi tubuloſi, lingulati foeminei trifidi, anthera cylindrica, vtrisque germen paruum, ſtylus ſimplex, ſtigma bifidum; calix immutatus continet ſemina, pappo plumoſo quinqueſeto ornata, et thalamo paliaceo affixa. *Pardiſium*, planta acaulos, ſcapi aphylli vniflori, calix communis imbricatus, corolla hermaphrodita, diſci, tubuloſo qninqeufido, radii, lingulata, tridentata, antherae cylindraceae, ſtylus ſemibifidus, calix immutatus, ſemina ouata, pappo plumoſo, thalamus paleaceus. *Brabeiaria* folia verticillata, amenta axillaria, ſquamis imbricatis multifloris, floſculorum calix nullus, corolla infundibuliformis quinquefida, ſtamina quinque, ſtylus vnus; collocauit genus Cl. Auctor inter gynandrias polyandrias et monoecios, an ad priorem claſſem pertineat, ex data definitione cognoſcere haud licet. *Perpenſum*, ad monoecias triandrias relatum, caulem habet nullum, folia radicalia reniformia, ſcapi amenta ex ſquamis vnifloris compoſita, calix nullus, corolla nulla; ſtaminum filamenta nulla, antherae duae, oppoſitae, geminae; ouarium apice bifido, ſtyli duo reflexi, ſemen induratum cortice tectum. Genus, nouo nomine *Ireon* dictum et hic deſcriptum, *roridalam* LINNAEI eſſe, Ipſe Cl. Auctor in emendandis monuit, et *vieuſſeuxiam* ex ROCHII

CHII Diſſert. citauit. Inter ſpecies nouas ſingulari ſtructura attentionem meretur *amaryllis bulbiſperma;* haec loco fructus profert capſulam, ſaccum membranaceum continentem, cui includitur bulbus orbiculato planus, qui poſt menſis fere ſpatium progerminauit. Capenſes diuitias, hic modo indicatas, a Cl. Auctore copioſiores explicandas, nobiſcum certe exoptabunt omnes.

XVIII.

CAROLI a LINNE, Equitis aurati de ſtella polari, Acad. Pariſ. membr. cet. Syſtema naturae per regna tria naturae, ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus et differentiis. Tomus III. Holmiae, impenſis Direct. Laurentii Saluii, 1768. 8 mai. pl. 16. tab. aen. 3.

Cum in vltimis editionibus ſyſtematis naturae Linnaeani, quae duodecimam, de qua hic agimus, antecedunt, duo tantum regna contineantur, *animale* ſcilicet et *vegetabile*, *lapideum* vero deficiat; omnes, qui corporum naturalium ſyſtematicam cognitionem acquirere cupiunt, nobiſcum gratias acturos eſſe arbitramur Ill. Auctori, quod in hac noua editione non ſolum foſſilium methodicam diſpoſitionem addere, ſed et methodum, olim propoſitam, foſſilibus nouiter inuentis augere, atque cuiuis corpori huius regni nomen quoque triuiale addere, ei placuerit. Quamquam enim ea eſt Ill. Auctoris modeſtia, vt ipſe de ſuis in lithologiam meritis profiteatur, ea non tanta eſſe, vt ex iis multum ſuperbiae et ſpiritus ſibi accedere poſſit; tamen vel ii, quibus methodus, qua Ill. Auctor foſſilia ad externos potiſſimum characteres diſpoſuit, quam in hac quoque editione non

non mutauit, minus placet, et qui chemicos characteres praeferunt, concedere debent, elucere vbique ſummam Auctoris ingenii vim et acre iudicium, librumque hunc tam perfectum eius opera nunc factum eſt, quantum leges methodi, quam ſequitur, id fieri permittant.

Praemiſſa eſt in hac editione diſputatio breuis de regno lapideo in vniuerſum, enumeratio porro praecipuorum ſyſtematum lapidum, inter quae Bromelianum primum eſt, tandemque explicatio praecipuorum terminorum, quibus Ill. Auctor vtitur, quae omnia, cum in epitome redacta vix tradi poſſint, hic omittimus. p. 9. p. 13. p. 19.

Omne vero minerale regnum ab Auctore Noſtro in tres claſſes, *petras* ſcilicet, *mineras* et *foſſilia* diuiditur. *Petrarum* claſſis, quae olim e tribus tantum ordinibus, *vitreſcentibus*, *calcariis* et *apyris* lapidibus conſtabat, nunc quinque ordinibus componitur. Primus eorum eſt ordo *humoſarum*, quae e vegetabili terra depoſita ſunt: alter *calcariarum*, ex animalium terra oriundarum: tertius *argillacearum*, e maris ſedimento viſcido natarum: quartus *arenatarum*, quae ex aetheris aqua pluuiali praecipitante originem ducunt: tandemque quintus *aggregatarum*, quae e quatuor praecedentibus compoſitae ſunt. Ad *humoſas* petras vnicum tantum *ſchiſti* genus pertinet, ad *calcariarum* vero ordinem: *marmor*, *gypſum*, quod nouum genus eſt, cum in prioribus editionibus lapides gypſeos Auctor Cl. marmoribus adnumerauerit; *ſtirium* nouum quoque genus, quod lapides gypſeos e filis parallelis, approximatis compoſitos, ſiue *gypſum fibroſum* CRONSTAEDTII comprehendit; tandemque *ſpatum*. *Argillacearum* ordo continet genera *talci*, cuius ſpecies nunc etiam *lithomarga* et *rubrica* ſunt, quae olim ad *margas* Ill. LINNAEUS retulerat; *amianti*, ſub quo nomine p. 35.

generico duo genera priorum editionum *aſbeſti* ſcilicet et *amianti* coniunguntur; et *micae*, cui etiam *talcum officinarum* nunc adnumeratur. *Arenatarum* ordo tria habet genera, *cos*, *quarzum* et *ſilex*, cuius ortum Ill. Auctor, vti notum eſt, e calce et praecipue ex creta deriuat. *Aggregatarum* tandem ordinem vnicum *ſaxi* genus conſtituit, quod olim ad *foſſilium* claſſem pertinebat.

p. 81. Secunda claſſis, quae *mineras* continet, in tres ordines diuiſa eſt, ſcilicet in *ſalia*, *ſulphura* et *metalla*, quae in prioribus editionibus *mercurialium* nomine inſigniebantur. *Salium* ordo ſex generibus componitur. Eorum primum eſt *nitrum*, ad quod *lapidem* quoque *ſuillum priſmaticum* WALLERII, Ill. Auctor refert. Alterum eſt *natrum*, vbi monet, veram notitiam *natri antiquorum* adhuc deficere, cum id, quod HASSELQUISTIUS e Palaeſtina ſub hoc nomine miſerat, argilla tantum muriatica fuerit. *Natrum fontanum* ſiue *ſal purgans* ex ſale muriatico et ferro ex Auctoris Ill. mente natum eſt, illudque probare annititur ex geneſi huius ſalis ad parietes aheneorum ferreorum, in quibus ſal culinare coquitur. Quae res omnino vlteriori examine digna eſt, cum ſalis amari in plurimis fontibus, e quibus ſal culinare paratur, praeſentia, experimentum fallax reddere poſſit, ipſique experti ſimus, ſal, quod variis in locis tubis ferreis, per quos aqua ſalſa ducitur, adhaeret, album et ſtypticum, eſſe vitriolum aliquod, ex acido ſalis et ferro ortum, nullamque fere baſin alcalinam continens. Huic quoque generi *ſelenitae* ſpecies priorum editionum inſertae ſunt. Tertium *ſalium* genus, *boracis* ſcilicet, plane nouum eſt. Habet vero illud cryſtallos priſmaticas, octaëdras, apice vtroque pyramide truncata vel alia, et ſaporem obtuſum. In igne intumeſcit et vitreſcit. Ad illud pertinent *borax nudus* ſeu *tincal; borax gemma nobilis*, lapidoſus priſma-

priſmaticus pellucidus, pyramidibus truncatis, ſeu *nitrum quarzoſum coloratum* muſei Teſſiniani, quod *topazium, cryſolithum, beryllum* et *ſmaragdum* comprehendit; *borax baſaltes; borax electricus* ſiue *tourmalinus; borax granatus* et *borax margodes*. Quarto ſalium generi *muriae*, etiam nunc *lapis Bononienſis* ſub nomine *muriae phoſphoreae* inſertus eſt. Quintum genus *aluminis*, et ſextum *vitrioli* eſt, cum *ſelenitae* genus, vt monuimus, ad *natri* genus nunc relatum ſit. Sequuntur *ſulphura*, nouo *ambrae* genere, quod olim ad *electri* genus pertinebat, aucta. Reliqua huius ordinis genera ſunt *ſuccinum*, *bitumen*, *pyrites* et *arſenicum*. Tertium huius claſſis ordinem, *metallorum* ſcilicet, componunt ſequentia genera. *Hydrargyrum; molybdaenum*, nouum genus, cuius metallum non fuſile eſt, (quod tamen mineram eſſe, omnia attributa euincunt, licet chemica ars metallum nullum produxerit,) cinereum, inquinans et vitro ſubferrugineum colorem praebens. Ad hoc refert *plumbaginem* ſeu *molybdaenam vulgarem*, *magneſiam* et *ſpumam lupi*, quam Germani *Wolfram* dicunt; *ſtibium* porro; *zincum; biſmuthum; cobaltum*, quod etiam nouum genus eſt. Metallum eius fragile eſt, albido-caneſcens, in igne non fuſile. ſolutione in acido nitri et aqua regis rubrum colorem obtinens, et vitro coeruleum colorem largiens; *ſtannum*, inter cuius ſpecies etiam natiuum, in actis Anglicis *) deſcriptum, numerat; *plumbum*, vbi noua huius mineralis ſpecies cryſtallina rubra, a Cel. LEHMANNO **) deſcripta, quae Catharinenburgi in Sibiria ante aliquot annos detecta eſt, minime deſideratur, quam *plumbum* (*rhombeum*) hexaëdrum, fuluum vocat; alia quoque

p. 107.

p. 119.

p. 236.

*) Vid. Tranſact. Philoſ. Vol. LVI. p. 35. et p. 305. et Comm. noſtr. Vol. XV. p. 495 et 512.

**) Vid. I. G. LEHMANN noua minera plumbi, Petropol. 1766. 4.

ſpecies hic occurrit, quae nondum ſatis deſcripta eſſe videtur, quam Noſter *plumbum* (*pellucidum*) hyalinum, raſile, efferueſcens vocat, et quarzo ſimilem eſſe, atque in Auſtria reperiri aſſerit, quae forte ad *ſpata plumbifera* pertinet; *ferrum; cuprum*, cuius mineris etiam *lapidem lazuli*, cum Cel. MARCGRAFFII experimenta *) Noſtro forte nondum innotuerint, *lapidem armenum* et *cuprum nicolai*, quod Germani *Kupfernickel* dicunt, et quod CRONSTADTIUS tanquam peculiare ſemimetallum deſcripſit, adnumerat. Duo vltima metallorum *argentum* et *aurum* ſunt, cum *platina* ab eo nondum inter metalla relata ſit.

p. 153. Tertia tandem *foſſilium* claſſis, vti iam in prioribus editionibus factum eſt, ex *petrificatis*, *concretis* et *terris* componitur. *Petrificatorum* genera cum generibus eorum, quae in prioribus editionibus conſtituta ſunt, conueniunt. *Entomolithus paradoxus* ſiſtit *oniſcum petrificatum* LEHMANNI **) *conchitem anomium valuulis trilobis* et *lapidem fiſſilem aluminarem, inſectorum veſtigia exhibentem*, BROMELII. *Helmintholithus androdamas* eſt *mytili margaritiferi* tendo cardinis induratus, e viridi et coeruleo varians, quem *pennam pauonis* vulgo dicunt, et qui in actis Stockholmenſibus deſcriptus eſt ***). Nondum credit Cel. Auctor, *lapidem Iudaicum* ex ſpinis *echini* eſſe. Nulla enim ei cognita eſt echinorum ſpecies cum eiuſmodi ſpinis, totusque lapillus conſtat ſpato duriſſimo, qui ſolet indicare cauitatem, in qua naſcitur. Vt vero aliorum teſtimonia taceamus, ex ſpecimine lapidis Iudaici, echino adhuc adhaerentis, quod Cl. DE LUC

*) Vid. Memoir. de Berlin 1758. p. 10. Comm. noſtr. Vol. XIV. p. 629.

**) Vid. Act. Petropol. 1766. p. 429. et ſupra p. 324.

***) Vid. Act. Stockholm. 1759. p. 24. Comment. noſtr. Vol. X. p. 197.

LUC, ciuis Geneuenſis delineari curauit *), origo lapidum Iudaicorum extra omnem dubitationem poſita eſt. *Lapis trochleatus*, quem Germani *Schraubenſtein* vocant, de quo ſuperius dictum eſt **), in hac editione ſub nomine *helmintholithi epitomii* occurrit. In ordine *concretarum ſaxi* genus, ad petras relatum, vti monuimus, deficit. *Helmintholithus echinitis aetitae embryonibus cryſtallinis fixis* muſei Teſſiniani, *aetites cretaceus* hic vocatur. *Zeolites* CRONSTAEDTII aliorumque Auctorum ab Ill. LINNAEO *ſtalactitibus* adnumeratur atque *ſtalactites (zeolithus) ſpatoſus, rufeſcens*, vocatur. *Arſenicum ſchiſti lenticularis atri* priorum editionum, ſiue *fiſſilis rudis reniformis* WALLERII (*Schiefernieren*) iam *tophus (lenticularis) ſchiſtoſus ſolidus ater* audit. In *terrarum* ordine ſequentia praecipue mutata in hac editione deprehendimus. *Antimonium fibris capillaribus ſparſis* prioris editionis, *ochrae* generi nunc ſub nomine *ochrae (ſtibiginis) germinantis rubrae* inſertum eſt. *Margae* genus, quod duas ſpecies habebat, *lithomargam* et *rubricam*, ad *talci* genus nunc relatum eſſe, ſuperius adnotauimus. *Cretae* genus vna cum *morochto* et *agarico minerali* CRONSTAEDTII nouum genus, quod *calcis* nomine inſignitur, conſtituit. *Calx lenticularis* huius editionis eſt *tophus calcarius lenticularis*, qui vulgo *lentium bethlehemitarum* nomen gerit.

p. 175.

p. 192.

Addita eſt huic volumini deſcriptio figurarum diuerſarum cryſtallorum et explicatio earum affinitatum tribus tabulis aeneis illuſtrata. Hanc excipit *appendix* ad vniuerſum ſyſtema naturae, varia noua animalia variasque nouas plantas atque emendationes continens, ex qua ſequentia notamus. Noua

p. 213.

p. 223.

*) Vid. Memoir. préſent à l' Acad. roy. des Scienc. Tom. P. IV. p. 467. Comm. noſtr. Vol. XII. p. 203.

**) Vid. ſupra p. 323.

canis ſpecies deſcribitur, quam *canis* (*corſac*) *cauda fulua baſi apiceque nigra* vocat, quae in campis deſertis ad flumen *Irtim* habitat. Ex *cauiae* deſcriptione, quam Cl. PALLAS dedit *) nouum *cauiae* genus conſtituitur, quod *dentes ſuperiores duos diſtantes, inferiores quatuor approximatos* habet. *Aper aethiopicus* EIUSDEM **) vocatur *ſus* (*Aethiopicus*) *ſacculo molli ſub oculis. Simiae oedipi* deſcriptio ad viuum animal emendatur. *Rhinoceros*, cum ex Cel. KAESTNERI obſeruatione in eo dentes primores remoti ſolitarii, occurſantes, ideoque non laniarii ſint, iam inter bruta ante *bradypum* locatur. *Sus hydrochaeris* pedes vngulatos nec vnguiculatos habet, ideoque *bellua*, nec *glis*, eſt. Reliqua, quae ad auium et inſectorum praecipue claſſes ſpectant, omittimus. Dolemus vero, Ill. LINNAEUM nec in his additamentis ad quadrupedum hiſtoriam egregio BUFFONI opere vſum eſſe, ex quo multa emendari
p. 229. addique potuiſſent. Plantae vero, quae in his additamentis vel accuratius vel primum deſcribuntur, ſunt: *ſtipa ariſtella, rubia cordifolia, conuoluulus pentapetaloides, rhamnus Siculus, craſſula verticillaris, aliſma parnaſſifolia, ſilene porrigens, arenaria Balearica, anemone Canadenſis, ſinapis braſſicata, bunias Aegyptiaca, cleome gigantea* et *aculeata, polygala trichoſperma, indigofera diſperma, trifolium ochroleucum, theobroma anguſta*, cuius plantae genericus character fuſius quoque deſcribitur, *calea ſcoparia, gnaphalium ſupinum, conyza balſamifera, lichen vernalis, lycoperdon varioloſum, byſſus ſepticus, hyoſcyamus ſcopolia, cynanchum aphyllum* et *ſpilanthus atricipifolius*.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 240 et 493.
**) Ibid. p. 241.

XIX.

BARTHOLOMAEI PATUNA, Phil. et Med. D. epiſtola phyſico-medica, continens hiſtoriam fetus, ſine inuolucris extra vterum iuuenti, placenta intra vterum haerente, ad Cel. Vir. IOAN. BAPTIST. MORGAGNIUM, in Patauio Lyceo P. P. Anat. Profeſſ. cet. Viennae e typographeo Kaliwodiano, 1765. 8. pl. 2¾.

Epiſtola hac, diſſertationis inauguralis loco conſcripta, Cl. Auctor rariſſimam profecto obſeruationem communicat, factam in ſectione mulieris, ſub ipſo partu ex vteri haemorrhagia mortuae. Femina erat triginta quinque annorum, octo infantum et inter hos gemellorum mater, quos partus omnes laborioſos habuerat. Haec ſub octaua grauiditate quinto grauiditatis menſe magnam vteri haemorrhagiam ex lapſu experiebatur, quae licet ſenſim imminueretur, tamen duos menſes durabat. Accedente tandem partus tempore, grauidaque vehementi ira commota, noua acceſſit haemorrhagia vna cum veris ad partum doloribus, qui tamen in toto abdomine, neque per interualla, ſed perpetuo ſentiebantur. Os vteri paullulum tantum aperiebatur, vt vix digitum admitteret, neque veſica aquarum turgida tangebatur, aut aquae profluebant vllae, ſed ſincerus ſanguis, ex cuius iactura poſt paucas horas aegra obiit. Fetus motus fere vſque ad mortem matris ſentiebatur. Inciſo paullo poſt abdomine, fetus in dextro eius latere inueniebatur grandioris molis, quam alii fetus eſſe ſolent, ita ſitus, vt caput eius diaphragma, dorſum vero abdomen matris reſpiceret, nullis inuolucris obuolutus, neque amnii liquoris veſtigia reperiebantur. Funiculus vero vmbilicalis collo primum fetus circumflectebatur, tandemque

p. 12.

p. 24.

demque tubam Fallopianam vnius digiti transuerſi ab vtero diſtantia intrabat, atque per reliquum tubae canalem ad vterum extendebatur. Tuba in loco, vbi funiculus ingrediebatur, olim rupta eſſe videbatur, atque cum funiculo ibidem concreta erat. Ipſe vterus figuram naturalem pyriformem habebat, ſed magnitudine pugnum maiorem aequabat. In eo placenta, quatuor pollicum diametrum tantum habens, duos vero transuerſos digitos craſſa, ita ſita erat, vt in latere dextro vtero adhuc adhaereret, in ſiniſtro vero ab vtero penitus ſoluta eſſet. Vterus dimidium pollicem craſſus, ſubſtantiaque eius omni ſanguine vacua erat. Placentae concaua ſuperficies, ex qua funiculus progrediebatur, duabus membranis obducta erat, quae ad marginem vſque extendebantur, ibique in ſolidiorem maſſam concretae erant. Modum, quo fetus ita in abdomen peruenerit, Cl. Auctor explicare non audet, cum in vtero nullam cicatricem aut rupturae veſtigium reperire potuerit.

XX.

Diſſertatio inauguralis de mira naturae ſolertia in reparandis damnis corpori animato illatis. Praeſ. DAN. WILH. TRILLER, Conſil. aulico cet. Reſp. *Chriſt. Dauid Zopf*, Wittebergae. 1766. 4. pl. 3½.

Praeter alia notaque ſatis documenta, ex quibus naturae ſoſpitatricis reſtauratricisque miranda eluceſcit efficacia, duo inprimis digniſſimo hoc, qui commemoretur, libello academico continentur, inſignia exempla aegrorum, quibus beneficae naturae liberalitas in reſtituenda partium corporis integritate, quam luculentiſſime comprobatur. Militis exemplum primum eſt, annos quinque et quinquaginta iam

ta iam nati, cuius os frontis, praeter naſi palatique oſſa, venerea carie adeo arroſum erat, vt per hiatum, oui magnitudine, tectum ſuis membranis cerebrum conſpiceretur. Turpiſſimo vero morbo conuenienti medela profligato, hiatus ille callo, duplicatae membranae pergamenae ſimili, obductus eſt, reſtitutusque aeger aliquot adhuc annos optime valuit, donec ſenio lentaque febre confectus periret. Alterum exemplum centurionis eſt, in cuius crure dextro, ex eryſipelate male et imperite tractato, gangraena tanta ſuborta erat, vt iam de amputatione, tanquam vnico auxilii genere, ageretur. Hanc tamen diſſuadens veteranus chirurgus auertit et, rectam medendi viam ingreſſus, ſeparationem carnium, putredine corruptarum, obtinuit. Tunc vero denudatum os tibiae, ad quatuor fere pollices transuerſos carie deſtructum, apparuit et chirurgo haud exiguum iniecit metum. Attamen naturae beneficio carioſa pars oſſis ſua ſponte ſeceſſit, natusque eſt duriſſimus denſiſſimusque callus, cuius ope pes, praeterquam quod aliquo modo exilior altero et anterius planior eſſet, ad munera ſua omnia, aeque bene atque olim ſubeunda, aptiſſimus reddebatur. Quibus quidem obſeruationibus ſimiles ab aliis viſas in fine libelli Cl. Auctor adiecit.

XXI.

Noua phyſico-medica.

Auguſtiſſimae Hungariae Reginae cum *vniuerſitatem Tyrnauiae* in Hungaria condere placuerit, ea, quae ad facultatem medicam ſpectant, tradimus. Conſcendent videlicet prima nouembris die 1770 cathedram medicam hi doctiſſimi viri:

1) IACOBUS IOSEPHUS WINTERL, profeſſor botanices et chemiae.

2) WEN-

2) WENCESLAUS TUCKA, professor anatomes.

3) IOSEPHUS BRANDT, professor physiologiae et materiae medicae.

4) MICHAEL SCHORETICS, professor praxeos.

5) IOSEPHUS PLENCK, professor chirurgiae.

Postquam iam in superioribus *) quaedam, inoculationis historiam variolarum concernentia, colligere incepimus, in ea continuanda nunc versabimur.

Iussu Potentissimi Regis Angliae Eius medicos DUNCAN, WINTRINGHAM, WARREN, atque Eius chirurgos, RANBY, HAWKINS et MIDDLETON in Suttonianam variolarum implantandarum methodum inquirere, et, quid de ea sentiant, indicare oportuit. Ac omnino quidem hi Cll. Viri, aegris ad varioloſum miasma suscipiendum assidue adaptatis, et iusta, inter erumpendas variolas, caloris externi, diaetae, refrigerantium et aperientium medicaminum habita ratione, Suttonianam huc vsque methodum variolas tractandi felicissimo cum euentu in Anglia fuisse adhibitam, experientia duce, contendebant. Curabat enim SUTTONIUS, ac omnes, qui eum sequuntur, has cautiones aeque diligenter, ac alii medici, inoculationi inseruientes. Id autem, quod SUTTONIUM a reliquis, inoculationem administrantibus, separat, et multis specificum videtur, in eo cernitur, vt aegri, debilissimi quoque et valde aegrotantes, omni tempore, siue spectes morbi rationem, siue respicias ad tempestatis vicissitudines, frigido aëri exponantur. Atque hoc hi Cll. Viri minus laudarunt. Quamquam enim euentus felicissimus satis respondet SUTTONII votis, nec quid-

*) vid. Comment. nostr. Vol. XV. p. 178.

quidquam huic methodo contrariari videtur, tamen haec frigidiſſimi aëris, et hiemali tempore, admiſſio nimiam prodere videtur audaciam his Cll. Viris, qui magnopere optant, vt diuerſae corporum conſtitutioni ita, vt decet, conſulatur.

Hafniae inoculationis cura commiſſa eſt nonnullis, qui ante portam, quae dicitur *Norderthore*, aedificium adaptari curauerunt, vbi quadraginta octo vna vice poſſunt implantari, a quorum ſedecim ſumtus ſunt expendendi, ſed triginta duo gratis inoculandi. Cuius laudabilis inſtituti commodis non ſolum huius vrbis, ſed totius Daniae frui licet incolis.

Holmiae medici, qui Regiae domui inſeruerunt variolas, ſummam Regis experti ſunt clementiam. Cl. ROSEN VON ROSENSTEIN, Eques et archiater, 100000 thaleros, DAVIDES SCHULTZ, profeſſor medicinae et archiater, nec non NICOL. F. DAHLBERG, archiater, quilibet nempe 12000 in cupreis numis, et Cl. DAHLBERGIUS ſimul cum nobilitatis diplomate, acceperunt. Ac DAHLBERGIUS, in poſterum tuebitur valetudines filii Regis natu maximi, et quotannis 1000 thaleros in numis argenteis, totidemque ad itinera ſuſcipienda accipiet.

Warſauiae iuſſu Regis variolarum inſitio in noſocomio generali, infantis Ieſus nomen habente, a GUILIELMO RIETSCH, medicinae et chirurgiae Doctore et a conſiliis Regis, in poſterum inſtituetur, ac initium iam feliciter eſt factum.

Tiguri ab anno 1760 ad 1768 ſeptuaginta tribus variolae ſunt implantatae optimo cum ſucceſſu. Quorum quatuor ſine variolis, in externa corporis ſuperficie conſpicuis, ſanitati ſunt reſtituti.

Lipſiae a Viris experientiſſimis CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIGIO, IOANNE GEORGIO RÖTHERO, et CHRISTIANO FRIDERICO BOER-

BOERNERO prosperrimo cum euentu in variolis inserendis continuatur.

Parisiis Regia Scientiarum Academia Cl. CADET, pharmaceutam militarem, qui chemicae classis adiunctus erat, *in eadem classe socium* elegit.

In Academia, quae *Ienae* floret, IOANNES ERNESTUS NEUBAUER, medicinae Doctor, anatomiae et chirurgiae Professor, Academiae Caesareae naturae curiosorum, vt et Societatis Principalis Hassiacae sodalis, ad munus *anatomiam et chirurgiam docendi* adeundum, initio octobris 1770 programma *de epiploo oscheocele, cuius receptaculum peritonaei mentiebatur processum, testem et epididymidem simul continentem*, concinnauit.

Lugduni Batauorum die 9 septembris 1770 doctissimus et experientissimus BERNARDUS SIGFRIED ALBINUS, Professor medicinae ordinarius, septuagesimo et quarto aetatis anno vitam cum morte commutauit, cuius vitae rationem in posterum trademus.

Berolini die 24 iulii 1770 SIMON PALLAS, Professor chirurgiae ordinarius, Regii Borussici collegii medico-chirurgici Berolinensis sodalis, et chirurgus primarius nosocomii, quod dicitur *Charité*, septuagesimo sexto anno aetatis est mortuus.

Obiit die 1 septembris 1770 Experientissimus IULIANUS ADOLPHUS BOSIUS, medicinae Doctor, et in Academia *Vitebergensi* Professor Extraordinarius, ea aetate, qua vix coeperat in publicum prodire. Quem tanto magis dolemus in medio vitae cursu abreptum esse, quanto seuerius in literis profecerat,

fecerat, quanto ſtudioſius veram doctrinam amplexus erat, quantoque plus vtilitatis certe ab ingenio et ſcientia Eius exſpectari poterat. Vt ergo Eius familiaritate ſemper multum laetati ſumus, ita faciendum putauimus, vt hic memoriam Eius poſteritati commendaremus.

Memoria PETRI COLLINSONI, Societatis regiae Londinenſis Sodalis.

Paucos haec aetas noſtra tulit COLLINSONO ſimiles: adeo ille, quamuis propter vitae genus, mercaturae deſtinatum, a literarum ſtudiis alienus videretur, cupidus tamen doctrinae eius fuit, quae rerum naturam, et praeſertim naturalem hiſtoriam indagat, in qua ornanda et adiuuanda vitam, otium et pecunias conſumſit. Fuiſſemus igitur his meritis iniqui, ſi talis Viri memoriam apud medicos et phyſicos recolere neglexiſſemus: imo plerosque (plerisque enim COLLINSONUS innotuit, nec quisquam naturae ſtudioſus e Britannia, non ſalutato COLLINSONO, diſceſſit) exſpectare hoc officium, quod ei nunc ſoluimus, arbitramur. Miſſis ergo omnibus, quae de COLLINSONO ciue atque mercatore dici poterant, videamus eum inter doctos viros et amicos. Nimirum cum in villa quadam paterna Weſtmorelandiae, vbi e patre cognomine natus eſt, pueritiam omnem conquirendis exſiccandisque plantis et animalibus transmiſiſſet, ſtudium hoc poſtea ſic infixum haeſit animo, vt, cum maturior aetas eum ad ſeueriora et neceſſaria mercaturae negotia duxiſſet, tamen non abiiceret priſcum amorem, fratrique potiorem mercandi curam relinqueret, non quo rem, a patre bene partam, negligeret penitus, ſed vt paullo plus otii ab eius adminiſtratione naturae cognoſcendae ſtudio concederet.

Aluit

Aluit hoc et conſeruauit familiaritas COLLINSONI cum omnibus iis, qui tempore eo in Anglia naturae ſcientia nobilitati fuerunt, vt cum DERHAMO et SLOANIO, apud quos vndique collectos naturae theſauros ſcrutari et examinare licuit, hoc eſt, bene conformare animum ad imitationem, et cognoſcere ab optimis magiſtris, quid et quo modo in rerum natura attendere ac quaerere operae pretium videretur. Ita ergo, cum ſui iuris eſſet, praeter quaeſtum, hunc etiam mercaturae fructum quaeſiuit, vt naturalis hiſtoriae ſtudio prodeſſet. Ac hoc quidem fructu nulla alia ratione facilius potiri licuit, cum Americana et remotiſſima quaeque commercia, quibus domus Collinſoniana florebat, vel nolenti centies offerrent, quae Europaeis et noua et cara eſſent. Ex eius ergo manibus Anglia fere accepit, quidquid florum rariorum vbique habet: per eum etiam exteri, quotquot eum rogarunt, beneficio hoc ornati ſunt: fuit enim omnibus longe facillimus, vt adeo laetaretur, ſi hoc etiam in genere alicui ſeruire ſibi datum eſſet; et ſunt etiamnum inter noſtros, qui humanitati Collinſonianae multa debeant, quibus horti eorum decori ſunt. Tum, quidquid ſperaret in vllo naturae regno indagatoribus eius acceptum fore, commercii opportunitate vſus, et ſibi et aliis arceſſi curauit, fuitque commune perfugium omnium per omnem Europam: certe, niſi tanto labore et aſſiduitate fuiſſet, multa aut tardius, aut plane non ad noſtros veniſſent. Sponte ergo intelligitur, et domi eius inſignem huiusmodi rerum multitudinem collectam, et, ſi qui vllo loco viri docti eſſent, ab eo conſultos, inque ſocietatem ſtudii vocatos fuiſſe, e quibus nominare liceat FRANKLINUM, qui e Philadelphia per literas cum COLLINSONO egit, et cum eo primo communicauit, quae in electricis experiundo detexerat. Neque vero intra colligendi

gendi ſedulitatem ſubſtitit, quae ſine ipſarum rerum ſcientia manuariae operae ſimilis videtur, ad ſummum humanitatis laudem promeretur; ſed adiunxit naturae cognitionem, adparatu illo, itineribus longinquis, familiaritate tot virorum doctorum, fama denique nominis tanti dignam. Huius autem doctrinae luculenta documenta continent Tranſactiones Anglicanae, quibus Collinſonianae diſputationes, magno numero inſertae, haud exiguo ornamento ſunt. Etiam rem ruſticam tractauit, et, quidquid ad oeconomiam pertinet, cogitatione curaque amplexus eſt, ac ſuaſu prudenti aliis commendauit, inprimis modum pecoris habendi, in Hiſpania vſitatum, ſcripto explicauit, in Angliam tranſtulit, atque ſpem adeo eius in Americae prouincias propagandi concepit, quarum colonos omnino ad agricolationis omne genus adſidue cohortatus eſt. Multi ergo COLLINSONUM, Londino in villas euocatum, diu ſecum conſiliarii loco habuerunt, eoque auctore rem ruſticam in melius mutarunt. Sed haec etiam praemia iure tulit, vt a. 1728 in Societatem regiam Londinenſem adſciſceretur, et in Linnaeano ſyſtemate, cuius auctorem amiciſſimum ſibi habuit, planta quaedam eius nomen gereret. Optabile eſt, vt, qui diuitiis florent, et opportunitate iuuandarum literarum beati ſunt, tam praeclarum exemplum imitatione exprimant. Ceterum ſanitate ſatis proſpera fuit, praeterquam quod acceſſionibus podagrae interdum vexatus eſt, quae tamen mortis cauſa non fuit; ſed improuiſo vrinam retineri ſenſit, expertusque omnia remedia huic malo ſuccubuit, aetatis quinto et ſeptuageſimo anno, qui in annum ſeculi huius duodeſeptuageſimum incidit.

XXII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1766 prodierunt.

IOH. ANDR. CRAMERS *Anfangsgründe der Probierkunſt. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von* C. C. GELLERT, *2te Auflage. Leipz. 8. mit Kupf.*

Eiuſd. Anleitung zum Forſtweſen, nebſt einer ausführlichen Beſchreibung von der Verkohlung des Holzes, Nutzung der Torfbrüche etc. *Braunſchweig. fol. mit K.*

HENR. IO. NEPOM. CRANZII inſtitutiones rei herbariae iuxta nutum naturae digeſtae ex habitu. Tom. I. II. Vien. 8 mai.

Eſſai ſur la perſpective lineaire et ſur les ombres par Mr. LE CHEVALIER DE CUREL, à Strasbourg 8.

Diſſertation ſur le mechaniſme et les uſages de la reſpiration; ouvrage couronné par l'Academie des ſciences, de belles lettres et arts de Rouen le 7 août 1766. par Mr. DAVID, à Paris 12.

HENR. FRID. DELIUS diſp. inaug. de aëre, aquis, locis atque ſalubritate Erlangae. Reſp. *Io. George Fleiſchmann*, Erlang. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens pericula nonnulla microſcopico-chemica circa ſal ſeri. Reſp. *Io. Frid. Rud. Clemens*, ib. 4. c. tab. aen. 1.

Eiuſd. diſp. inaug. de ſcrobiculo cordis ſigno. Reſp. *Chr. Aug. Wendrich*, ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de methodo medendi rationali eadem in morbis, ſchemate et nomine diuerſis, legitima et proficua. Reſp. *Chriſt. Wilh. Haag.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de tabe feſtinata. Reſp. *Io. Marc. Frid. Iergius*, ib. 4.

Eiuſd. Abhandlung von Blähungen und Dünſten, als einer

einer verborgenen Urſache vieler ſchweren Zufälle, 2te Auflage. Nürnb. 8.

Inſtituts de Chymie, ou principes élementaires de cette ſcience, preſentés ſous un nouveau jour. Par Mr. DE MACHY, Apoticaire, demonſtrateur de chymie etc. Tom. I. II. à Paris. 8.

GEORG. CHPH. DETHARDING diſſ. inaug. de cura infantum recens natorum penes Ebraeos diu vſitata. occaſione dicti Ezechielis cap. 16. verſ. 4. Reſp. *Marcus Moſes*, Bützow. 4.

Introduction à la matiere médicale par Mr. DIENERT, à Paris 12.

Eiuſd. Abregé de l'embryologie ſacrée, ou traité des devoirs des prêtres, des médecins, des chirurgiens et des ſages femmes envers les enfans, qui ſont dans le ſein de leurs meres, ſec. edit. augmentée, à Paris. 12. av. fig.

Anweiſung, wie die Würkung des Feuers in den Stubenöfen und Küchen zu verſtärken, von FRIEDR. WILH. DIETRICHS. *Berlin. 8.*

Zufällige Gedanken von der Möglichkeit und Nothwendigkeit der Wohlfeilheit, von H. A. E. *Chemnitz. 8.* (plurima continet oeconomica.)

Eſſai ſur cette queſtion; quand et comment l'Amerique a t'elle été peuplée d'hommes, d'animaux, avec des remarques intereſſantes de theologie, de phyſique, d'hiſtoire, de chronologie et geographie par Mr. S. E. B. D'E, en 5 Vol. Amſterd. 12 maj.

IOH. PETER EBERHARDT *vermiſchte Abhandlungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit und Moral, 2ter Th. Halle. 8. m. K.*

Eiuſd. diſſ. inaug. de cauſſa caloris in corpore animali. Reſp. *Henr. Hanſen.* ib. 4.

GEORG. EGGER diſſ. inaug. de conſenſu neruorum, Vienn, 8.

IO. THEOD. ELLERI obſeruationes de cognoſcendis

dis et curandis morbis praeſertim acutis. Edit. nou. Amſtelod. 8.

WILH. IOSEPH DE L'ESPINE quaeſt. med. an in vulneribus thoracis laeſi pulmonis conditioni conducet aër per ipſum vulnus in thoracem admiſſus? *aff.* Reſp. *Ioan. Stanislaus Mittie*, Pariſiis. 4.

CHRIST. EHRENFR. ESCHENBACH progr. de apparenter mortuis, Roſtoch. 4.

Eiuſd. progr. de ſudore Chriſti ſanguineo paucae principiis medicis. ibid. 4.

Vernunft - und erfahrungsmäßiger Entwurf der vollkommenſten Bienenpflege für alle Landesgegenden, herausgegeben von IOH. LEONH. EYRICH. *Uffenheim. 8. m. K.*

Précis de la chirurgie pratique, ou l'on donne d'après les plus grands maitres, la plus ſure methode d'operer; avec des obſervations et reflexions ſur la conduite, que les pratiques doivent ſuivre dans les maladies le plus importantes par F. etc. à Avignon et Paris. 12. Vol. 2.

ZACH. FALK diſſ. inaug. de nephrotomia. Gryphiswald. 4.

PIO FANTONI della inalvrazione de fiumi del Bologneſe e della Romagna, Roma. 4 mai. c. tab. aen.

IO. FRID. FASELIUS diſſ. inaug. de hydrope vteri. Reſp. *Io. Frid. Winkler*, Ien. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de hydrope omenti. ib. 4.

Maniere de préſerver et guérir les maladies des gencives et des dents par Mr. LEROY DE LA FAUDIGUERE, à Paris. 12.

Obſervations ſur le commerce et les arts d'une partie de l'Europe, de l'Aſie, de l'Afrique et meme des Indes Orientales par JEAN CLAUD. FLACHAT, Tomes II. à Lyon. 12. av. fig.

Kurzer und deutlicher Unterricht, wie man bey einer graſſirenden Ruhr ſeine Geſundheit erhalten und verwahren, die Ruhr erkennen und geſchickt heben könne, in 3 beſondere Capitel eingetheilt. Nebſt einem Anhange von einer in der Erfahrung gegründeten Relation und Sentiment, *der von an. 1757 bis 1759 in den meiſten Orten Deutſchlandes graſſirenden epidemiſchen Seuche und 6 beſondern* caſibus chirurgico-medicis, *entworfen von* IOH. GEORGE FISCHERN, *Frankf. und Leipzig. 8.*

IOANN. FORDYCE hiſtoria febris miliaris et de hemicrania. Louaniae 8.

Principes et obſeruations oeconomiques par Mr. DE FOUBONNOIS. à Amſterd. 8 Voll. 2.

LA FOURCADE diſſ. anat. chir. de optima et tutiſſima celeberrimi Rothomagienſis profeſſoris (LE CAT) methodo, quae in viris calculoſis celebratur, ſectio lateralis. Reſp. *Groſſard.* Bourdeaux 4.

ANT. FRACASSINI tractatus theoretico-practicus de febribus, ed. XIma reuiſa et locupletata. Veron. 4.

J. E. FRISCH *Beſchreibung von allerley Inſecten in Teutſchland, 1ſter Theil. neue Auflage. Berlin. 4. m. K.*

